



**Temeritas recalcitrans, sive Dialogus inter sanam rationem, &
stultam temeritatem de parentia liberi arbitrii primorum
parentum ante lapsum, et de Deo hamartokinounti**

<https://hdl.handle.net/1874/17096>

TEMERITAS
RECALCITRANS.
SIVE
DIALOGVS
inter

Sanam Rationem, & Stultam Temeritatem.

DE

Carentia Liberi arbitrii primorum parentum ante
lapsum : Et de Deo *ἀμαρτησθεῖ*.

Scriptus à

MARCO GUALTHERO PALAT. Schol. Camp.
Rectore, contra Tapeinophrosynen Ioann. Vr-
bani Ecclesiastæ Hattem.

Addita est ad finem operis ipsa Tapcinophrofync.

Coloff. 2.v.18.

Nemo adversum vos rectoris partes sibi ultrò sumat , in submissione animi
& religioso cultu Angelorum: gradum inferens in ea quæ non ridit, &
temerè turgens carnis sue intelligentia.



GOVDAE,

Apud Andream Burier. Anno Chr. M. DC. XVI.

MB
552

Magnificis, Nobilissi-
mis, Prudentissimisque Dominis,
Dn. Delegatis Illustrium Ordinum
Transffulanæ Provinciæ:

Itemq.

Nobilissimo, Amplissimo, Spectatil-
simoq; Viro, Domino HENRICO BEN-
TINCK IN WERCKEREN, Satrapæ
Sallandiaæ dignissimo:

Dominis ac Mecenatibus meis observandi simis.

PRodijt præterito anno, viri Magnifici ac Pru-
dentiss. quidā Libellus, (jure sic appello: nam
vix decem foliola implet:) qui ab autore suo
Tapeinophrosyne, id est, Humilitas, seu Mode-
stia in sensu inscriptus, tractat de Necessitate
& Contingentia lapsus Adami. Autor ipse mihi jam ab
Academica consuetudine per plures annos notitiâ, & amicâ
familiaritate, junctus est: fovemusque adhuc eandem, vel
eo maximè nomine, quòd satis propinquia vicinitate in his
locis fruimur. Et hæc quoque causa est, cur, postquam in lu-
cem emisisset, etiam mihi Lucubratiunculam illam offer-
re, judicio meo submittere, & sententiam meam ad ipsam
expectare voluerit. Quam quidem ante senos, & quod ex-
currit, menses per literas, quam potuit fieri brevissimè, sig-
nificavi: simul promittens, me aliâs vel publicè, vel priva-
tim (prout consultissimū mihi visum foret) prolixius scri-
ptum ejus examinaturum, & cum Deo, illi aliquid repo-
situm.

²
situdum. Istum itaque libellum alterâ vice in manus sum-
psî, legi, relegi, ruminavi sedulò. Cumq[ue] diligentius ex-
pendissem summa ejus capita, potissimaq[ue] argumenta,
quibus causam suam agit, respondi pro hoc tempore ea quæ
hoc ipso scripto meo edita videtis. Ut autē & Ampp^{bis} ve-
stris constet, quid ille aiat, quid neget, quidq[ue] ego, tribus
verbis repetam totius negotij summam.

- Cùm videret Autor ille inter Reformatos Belgij duas
potissimum sententias esse, de Providentia Dei circa ma-
lum, deq[ue] aeterna Dei Prædestinatione, & nonnullis alijs
adnexis capitibus: Vnam eorum, qui dicunt, aut docent,
Deum non tantum liberè permittere, & sapienter gubernare ea,
quæ malè ab hominibus geruntur, id est, peccata;
sed etiam absolutè eadem fieri velle; eademq[ue] efficaciter
in hominibus operari atque movere: Item, Deum absoluto
quodam aeternoq[ue] decreto, singulares quasdam personas,
antequam eas creare constitueret, (quæ longè minimam
partem humani generis constituunt) citra respectum obe-
diëtiæ I. Christi, aut fidei in ipsum, ad salutē prædestinasse;
Maximam verò hominum partem præcisè, ac citra ullius
malitiæ aut incredulitatis intuitum, reprobasse, id est, præ-
damnasse, sive aeterno exitio destinasse, quos postmodum
inevitabili quadam necessitate, quæ ipsis ex Dei ordina-
tione injiciatur, oporteat peccare, atque peccando aeternam
damnationem, cui absolutè addicti sint, sibi accelerare:
Al-
teram verò Sententiam eorum, qui dicunt & credunt, Deum
nequaquam peccata procurare, operari, efficere, absolutè
fieri velle, hominesve ad ea impellere, movere, aut con-
stringere, sed permissivè tantum circa illa versari, ita tamen,
ut potenti manu sua semper ea gubernet, ac cohibeat, ne ul-
teriùs evagentur, quam ipsi visum, dirigatq[ue] cum ad sui
nominis gloriam, tum piorum salutem: Item, eundem
Deum ab aeterno, præscito lapsu Adami, decreuisse ejus, to-
tiusque

tiusque generis humani in miseriam conjecti, clementer misericri, & filium suum nobis dare, & in eo, per eum, ac propter eum salvare, quotquot per Gratiam Spiritus S. in eundem Filium suum credituri, & in ista fide, & fidei vera obedientia, perseveraturi essent ad vitæ usque finem: Contrà incredulos atque contumaces, id est, qui filio non obdiren̄t, sub peccato & ira relinquere, tandemq; damnare, ut à Christo alienos, & salutis solis fidelibus promissæ minimè capaces. Cùm, inquam, autor ille intelligeret, duas illas sententias agitari, maluit (auctoritate credo humana, id est, sublimium quorundam, & in mundo, atque à mundo, magni habitorum virorum, abreptus:) priori illi rigidiori-que opinioni adhætere, quòd fortè videretur sibi non satis constans futurus, si, quod semel, qualequale esset, ab illis imbibisset, jam relinquiceret: quām modestiorem illam alteram, ut quæ tanto strepitu non susciperetur & defende-
retur, nobiscū sequi. Quoniam verò recipiā compertū eidem fuerat, suam Magistrorumque sententiam, Naturā suā at-que effectis verè horribilem, & jam apud multos ob id infamem, cum extra tum intra Belgij muros à varijs & non imbellibus ingenijs impugnari, vel eo maximè nomine, quòd & Naturæ Dei Euangeliōque contraria, & sinceræ pietati pernicioſa planè & quasi lethalis esset: dolum exco-
gitavit novum & subtilem, quo pro virili sua opem causæ jam penè enētæ adferret. Nam cùm ultro fateatur, senten-
tiā Magistri sui (cujus etiam negotium unicè agit in hoc suo schediasmate) de Prædestinatione & causis Peccatorum pugnare in Dei justitiā, Deumq; ex vi illius constituendum autorem peccati, si quis modò rem aciusculē censere & urgere velit; putavit se fidi Discipuli officio defuncturū, si partim austrium illud dogma acutis ratiocinationibus defen-
deret, (quod adhuc putatur facturus), partim contrariam & mihiorem sententiam longè pluribus absurdis cōspurcaret.

Aggressus est itaque locū de lapsu **Adami**, qui omnium sequentiū peccatorū causa & principium creditur, deq; eo sic disputavit & disputat, ut evincere conetur, illū omnino **necessarium**, ratione absoluti cujusdā decreti divini, seu prorsus inevitabilem fuisse, & nō pependisse à libero primi hominis Arbitrio. Itaque & eos ridet, qui statuunt, Adamum ante lapsum à Deo accepisse liberū, utrumque (bonū & malum) agendi, arbitrium, sive facultatem ad utrumque indiferentem: dicitque eos qui hoc urgent, eo ipso Deum constituere impotentem, insipientē, injustū.

1. **Quod tribus argumentis in hoc Libello ostendere tentavit: an præstiterit, hic oppositus Dialogus noster docebit.** Deinde, ne horrendū nimis dictū videretur à Magistris suis, Deum etiam mala, seu peccata, in hominibus efficaciter operari &c. eò quòd præter alia etiam lapsum Adami energeticè procurasset, contendit, Deum impropriè posse dici autorem peccati: quem tamen periculosum loquendi modum (dicas causa) commodâ explicatione mitigandū esse scribit. **Quasi** verò de modis loquendi, & non potiùs de rebus ipsis disceptetur: & quasi commodiùs tam durat, & planè horrificæ, locutiones mitigari (quod satis anxiè & operosè ab ipsis fieri videmus) que-
2. **ant, quām prorsus omitti.** Postremò, quia, quicquid contra præcīsum illud dogma ab alijs quantumvis nervosum adfertur, ipse cum Symmachis suis fastidit, & ut insipidum rejicit, excogitavit, quomodo scopticè eos pungeret. Rationales nempe (id est, ineptos, stupidos, brutos) appellat, quòd stultam, ipsius judicio, Rationē, in pensandis mysterijs divinis, nimiūm sequerentur, nec ob id intelligere aut credere valerent sublimia ista portēta. Et hæc tria ista capita sunt, in quibus refutandis occupatur hoc scriptum meum.
3. **Caterūm** cur ego potissimum, cùm alij, quibus neque ætate, neque ingenio, neque autoritate sum comparandus, hucusque sileant, ad scribendum me accinxerim, causæ aliquot

quot (non pœnitenda, meo iudicio) exponenda sunt. Primum Causa veritatis, quam omnium silentio in dubium venturam metuebam, quiescere me non sivit, quin (quantum in me esset) opem laboranti ferrem. Est sanè cuiusvis Christiani hominis officium, occurtere, sicubi periculum videat imminere sanæ doctrinæ. Isti meæ parti, quantum commodè licuit, nolui hīc deesse. Alij verò quòd se isti Autori noluere hactenus opponere, rationibus bonis & gravibus eos repressos scio. Deinde accedit etiam Materiæ, sive Quæstionis ipsius ratio. Cùm enim nemo antehac (quod sciam) adeo crudè hanc rem protulerit & usserit, atque Vrbanus hic noster, necessum erat, ut aliquo saltem modo ab amicis ejus contrà iretur. Et est utique ea Veritatis, cuius parens ipse Deus, natura atque vis talis, ut vel mutis piscibus Cygni, immò humanum sonum do-natura sit potiùs, quam indefensam se contrà tam apertas oblocutiones, ac putida deliria, sit relictura. Quis præter hunc (& alterum eum, quem in libro nostro citamus) publicè & tam fidenter asseruit, Adamum adhuc integrum non fuisse liberæ ad utrumque oppositum voluntatis? Itaque duo isti novi Zenones novam hæresin (sive quis malit, novum dogma) novo paxillo suspendisse jure dici possunt: quam in principijs extingui omnino est operæ pretium. Præterea illa ipsa ante plusculos annos contracta inter nos amicitia hanc mihi libertatem præbere visa est, ut cum noto & familiari potiùs, quam ignoto, super hac re conferrem, & quam maximè amicum ad saniorem sensum reducere contenderem. Denique vel è causâ responso opus esse putabam, ne sibi triumphatos contrariæ sententiaæ patronos propter silentium gratularetur, ac majore specie causam suam imperitis commendaret, quasi scilicet invincibilia aut irrefutabilia forent, quæ in fictitia sua Tapeinophrosyne sophisticatur. Quam falsam ipsi persuasionem ostendere, & eximere,

eximere, si admittat, operam nō indiligentē dedi. Prætero hīc suāsum & hortatum virorum aliquot doctissimorum, qui mihi potiūs, quām alij partes hasce sumendas esse jūdicarunt: quorumque mihi autoritatem aspernandam, aut voluntatem negligendam, judiciumve parvi habendum, nullo modo duxi.

Hæc sunt viri usquequa Magnifici & Prudentes, quibus exstimulatus sum, ad Dialogum hunc adornandum, & Dialogo illius contrario opponendum. Quem cum Vestris Ampp^{bus} ex animo inscriptū & consecratum vellem, dispi- ciebam prius, an dignæ & justæ causæ essent, ob quas id cuperem & auderem. Hoc igitur agenti, obtulerunt se tres istæ. Prima Generalis quædam, quod scil. crederem, Nullis potiūs constare debere hæc sacra, & istas, quæ hodie- que in Ecclesia Belgica agitantur, Religionis controver- sias, quām Primoribus ac Patriæ Patribus, quos utrinque Ecclesiæ Dei nutritios (ex Prophetæ, imò Dei scito) fateri nos oportet. Istim quam hīc tractamus materiam, vel præ- cipuam partem, esse controversorum capitum, non ignora- re possunt, V^{re} Ample^{es}. Non ignorant etiam alij è multis, qui vel paucas pagellas in editis ab utraque parte scriptis cum cura perlegerunt. Sanè quicquid Moderatores in du- ra illa & horribili altera sententiā notant, ideo fligiendum putant, quia Deo peccati causam & necessitatem adscribit, si non exsertis verbis, attamen *duvājūs* & reipsā. Vtique ta- men modo non paucos adversiorum facere, jam sāpius à Nostris ostensum est. Iam verò ad pios, & Spiritu Domini^r illuminatos magistratus, virosque politicos, etiam sacra hujus causæ cognitionem pertinere, utri multi fulfilter cla- mando recalcitrent, non ego solus sentio & aio, sed ante me multi magnique in sacris viri: qui & sāpius id solide con- firmarunt, & deinceps accuratius contra pictorim quoniam in- dam Aristarchorū rhonchos alij probabant. Alii, inquam, quibus

7

quibus authoritas procerum, divinitus ijs data, ita cordi est,
ut nolint eos cæcos ministros quorundā sanguinarijs consilijs substitui, sed ut præter inspectionem quandam, merè
juxta quosdam imaginariam, etiam realem, ut ita dicam,
causæ notitiam, & solidam sententiæ dictiōnem, juxta Dei
verbum habeant. Tales Vras Ampli post Illust. Ordines
hujus Provinciae revera esse, & ab omnibus jure habendos
agnosco, semperque prædicabo. Accedit altera, majoris,
meo judicio, ponderis. Postquam enim publico decreto Il-
lust. Ordines Transissulaniæ jam pridem sanxerunt, ut de
Deo & decretis ejus, maximè circa negotium Prædestina-
torium, nemo Concionatorū præter & extra ea, quæ disserre
Verbo Dei de istis continentur, quicquam vel fidenter af-
firmaret, vel doceret publicè; ego verò in hoc scripto meo
ista refutatum eam dogmata, quæ non tantum in sacro Dei
Verbo non traduntur, sed etiam manifestè eidem repug-
nant; atque ita tacitè decretum Ill. Ord. Nostrorum fir-
mem, ac tuear, nō importunū mihi visum est, Vls Amp*u*
hanc Meditatiunculam consecrare. Hoc enim planè Ad-
versarij thema est: *Deum aliquo modo authorem peccati dici posse*: itemque istud: *Adamum ideo ex mera Necesitate, ab soluto Dei decreto illata, labi oportuisse, ut Deus ad plurimorum damnationem pervenire posset, atq; inde gloriam suam educere*:
Hæc, inquam, themata, cùm ex I. Christi, unici Magistri nostri, ore nequaquam prodierint, nec ab Apostolis unquam tradita legantur, utiq; nolunt AA. Vra simplici multitudini inculcari, utpote vagæ vanæque incertitudini, & impio de Deo sensui, magis apta, quam veræ fidei ac genuinæ pietati. Hæc verò ipsa sunt, quæ mihi absurdæ & profanae visa, quæque idcirco hic confutanda putavi. Postremum & favor & benivolentia penè omnium è Spectatissimo Collegio vestro me quiescere non sivit, donec aliquo saltem in diciole testatum facerem, quam charum & venerandum

2.

3.

illum in me animum vestrum ego judicarem. Plerique vestrum & notitiâ, & propiore privatim affectu, me hactenus dignati sunt (quam facilitatem mihi omnem artatem prædicandam jure duco) ut insciti atque ingrati hominis, vel meopte calculo, notam non essem effugiturus, ni tale aliquid præstaremi, quo hoc ævum vel amorem, vel officium suum, plerumque testari solet.

Proinde, qualecunque hoc est, Viri Nobilissimi Ampl. spectatissimi que, quod vobis offero munusculum, serenis vultibus, animisq; faventibus accipite. Hoc unum omnino est, quod nunc per Faventiam & Splendorem vestrum vobis rogo. Quod si illud, quod unicè hic intendo, à Viris Ampli. impetravero, reipsâ etiam postmodum cum Deo ostendam, quod sim & publicè & privatim Viris A^{bus} semper adictissimus

MARCVS GVALTHERVS
Pal. Scho. Camp. Rect.

Campis. Calendis Novemb. 1616.

Ioanni Vrbano suo S.



VERM aliquando in lucem dedisti, amicissime Vrbane, mihiq; etiam præter alios expendendum obtulisti, dialogum de Necessitate & Contingētia lapsus Adami, istum sèpius relectū, observari Fato vestro stabiendo unicè à te destinatum esse; sententia verò Moderatiori, que Horribile illud Fatum impugnat, aut evertenda, aut cerere infamanda. Iudicium hoc meum antehac ex meis ad te literis portuisti cognoscere. In eo verò amplius confirmatus sum hactenus, ubi calamum in manus sumpsi, & neros ac fucos ejus, quantum temeritas ingenij mei passa est, indicatos perfrinxi. Quod dum egī, varia mibi subinde inciderunt, quæ sequiu de te cogitare & sentire jussérunt. Idem enim de te, cùm Dialogistam agis, non immeritò dici posse judicavi, quod de se olim Synesius, Calvitium laudans calvus, ultro pronuntiat. Ait enim se accingi velle in sua causa, ad laudandum scil. calvos, & capillatos injuriā afficiendos. Sic tua Modestia illos incessit, quorum causa æquior, planior & verior: defendere autem satagit, que sterilior, absurdior, & blasphemie indubie vicinior magisq; obnoxia: id est, Tuam causam agit. Sed tu novum, & novo modo, Ulyssem hic nobis præfas. Ex ijs etenim, qui sententiam moderatam hactenus admordent, nemo adhuc dolo isto usus est, ut scil. ex ea tam multa tamq; stupenda absurdia deducere conaretur. Itaque omnes isti, qui ex precisa illa Cohorte nominari possunt, & si qui unquam dolo fuere memorandi, tecum tuaque fallacia si contendantur, macci prorsus & buccones (ut cum Apuleio loquar) videbuntur. Itaque

Ἄδη ἀλτερος γέτοι, καὶ στροφῶλια εἰδός.

Nam postquam mibi liberè sape coram fassus es, & in Scripto tuo reip; sa tradis, Deum ex tua Magistrorumq; sententia constituendum esse autorem peccati, eamq; dogmati vestri vim ac veritatem esse, si quis urgere velit: at ne Aristarchi tui, quibus illud Θεοφίλον ἐπ^ο acceptum referri oportet, imp̄ ac Mezentio pares videantur, Idem tu absurdum aliorum illorum sententiae impingere tentasti, qui & Deum autorem peccati ullo modo (seu propriè, seu impropriè) dici posse negant, & prorsus ab horrendo isto dicto abhorrent. Quod ut speciosè facere videaris, exagitare dogma illud incipis, quod suadente autoritate S. Scripturæ tot jam sæculis inoffensè servatum & creditum est, nempe, Adamum ante lapsum suisse liberi arbitrij, seu liberrimæ voluntatis ad utrumque: & ex

eo, ingeniosa nimis subtilitate, procudere nobis conari Deum peccati causam efficientem, seu procurantem. Huc, quicquid suppeditare tibi potuit cerebrigena illa Dea tua, contulisse te appetat. Eaque, talia, vanâ nimis sepe haberi, ab omnibus vis, qualia tibi videntur, id est, dia, sublimia, insolubilia: Visque credi absque mora, & non minus indubitata haberri, quoniam

Pythia quæ tripode ex Phœbi lauroqué profatur.

Quamvis autem & coram sepe, & nuper è literis meis cognoris, quid de illis, & in instituto tuo opiner, tamen iterum dicendum est: de te rempe statuendum, quod magnus ille (judicio tuo) Pythagoras de Ostandro olim scripsit: eum futilibus commentis perverse ingeniosum fuisse.

*Inst. 1. i. c.
15. i. 3.* Revera enim nil præter ingeniosa ludibri acuminis tui commenta aduers, quibus non veritatem adstruere, sed officiarum nebulas oculis caligantibus offundere, & piis aliorum sententias conturbare studes. An me ignorare, ac dubitare putas, te, si nudam rei veritatem afferere velles, alia viâ incensurum? Sed ubi perspectis tricis illis, Seneca verissimum scitum recolui: Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit, ilicè Genio tuo speculations istas condonandas putari. Nibilominus tamen silentio easdem comprobare nolui, ne forte nimium tibi placeres, talia esse credens, quibus reponi nil posset. Alij, quibus ego talpa (lubens fateor) meritò Argos oculos hic tribuo, respondere istis manijs (quod fortè miraris) noluere, quod te χαρως Δάκρες cernerent, nec supercilio tuo quicquam, utut verum & solidum pijs mentibus esset, placitum aut sati facturum non injuria arbitrarentur: quid me futurum sit, facile divino. Licet verò privatam οὐχι τον aliquando sponderim, tamē consilio mutato, publicè hoc tempore tecum agere volui, quia sic consultius risum non unam ob causam. Si alicubi liberior tibi & audentior in inquirendo, & respondendo ridebor, ferendum mibi erit.

Quid refert dictis ignoscat Mutius, an non! Contentè & gnariter istam causam pro Dei gloria, & Veritatis stabilitamento, agendam putavi, & etiamnum puto: citra acerbitudinem tamen (cui quidam è restris indulgere largiter solent) & latratus morsuſq; caninos: cuius me culpe insinuari hic posse validè ac jure nego. Tum ista in Deum manifestaria contumelia, quam ei ubertim ingerit Thesis ista tibi defensa, intrepidè retundenda est, ne ullo prætextu lascivia carnis arripere queat, quod in Deum proterre audeat evomere, & à se omnem culpam removere.

Ceterum, mihi Urbane,

Quid opus vanâ consumere tempora lite?

Huc potius, quicquid babes virium confer, ut ignoratis ipsis verè profanis paradoxis, in ore rersetur omnibus, & in corde inhabitet, Vera Pietas, quæ stabiliri nequit, quandiu illa Vesta Horribilia scita in animis hominum aliquem fidei locum obtinent. Deinde inculcetur Charitas Christiana, & Fraterna Tolerantia. In hac Sparta exornanda tu, tuique similes alij, quibus plerunque à vulgo aut plebe multum applauditur, animosè versari debebatis. Quod si alter alterius onera portare (et scio, tibi ab hoc non esse abhorrentes mores) studuerimus, & pro se quisque in suis potius ritujs extirpandis occupari, quam in alienis (sepe aut falsis, aut leviculis) vellelans curiosè desudare maluerit, facile fiet, ut cicatrix vulneri Ecclesiae inducatur,

— & afflictum melior Deus auferat ævum.

Ab hac linea si abimus utrinque, quid lucramur? Fit nempe ad illud *Vetus Lucillyj*,

Muginamur, molimur, seducimur:
Scilicet à tramite, qui ad vitam dicit per Angustam Portam. Quod à nobis avertat Magnus ille Deus noster, tibique inspiceret, ut si quid forte Dialogo meo respondere roles, unicum S. Scripturæ, non subtilitatis tue, filum sequaris. Quod si futurum est, certò scio,

— σε αὐτοῖς θεοῖς πέπεισται.

Vale amicissime Urbane, & Marci tui, professione nunc Grammatici, non Theologi, Commentationem hanc æquo & patiente animo lege, & rumina. Campis Calend. Novembrib. Anno Christi M.DC.XVI.

DIALOGVS

inter
Orthosophian & Propeteian:
Oppositus
Tapeinophrosyne Urbaniana.



RTHOSOPH. Quām miserum est, cūm rectē pie-
que sentias, loquaris, agas, atro calculo notari,
atque à nāstūlīs & curiosis nimium hujus mun-
dis apientibus inter postremissimāe ignaviāe & ig-
norantiae pecora censerī? Quām indignum quo-
que, cum superbē & prāsumptuosē sapiendo stūl-
titiam ipsam superes, & Deū, Angelos, cōelos, & animas creatas,
volatili imaginatione excedas, elegantis scientiāe, verāe pruden-
tiāe, germanāeque Modestiāe titulum sibi vendicare? Et tamen
hac forte cunctā penē secula orbem hunc laborantem viderunt.
Quod enim ēvum ejusmodi Gigantes non tulit, qui, cūm im-
modicis animi speculationibus, & absurdis vacuā mentis per-
suasionibus tumerent, non bellē sibi compositi viderentur, ac di-
vinum sapere? Contrā, qui verum verāe sapientiāe iter ingressi,
vestigia diae virtutis premerent, infra Deum, & secundū Deum,
de Deo, de rebus creatis, de seipsis saperent, Rectē Rationis
dictāmen audirent, non ab illis fatui, bruti, fungi, quisquiliae ha-
berentur? Percurrat, qui volet, spatiā & ētates mundi, intueatur
que eos quibus propior lux affulsi, & illustrior ac prāsentior
divini numinis revelatio contigit: illos item, quos ductu Na-
turae & sanāe Rationis vivere, & in obscurō isto lumine ince-
dere Deus sīvit; illos denique, quibus per omnes mundi pla-
gas & angulos Sol justitiāe exortus est, & quorum gratosus
Euangelij sonus aures aut animos percussit: & accuratē mor-
talium actiones scrutetur atque excutiat, ex oraculo dictā mea
prodijſse negare non sustinebit. Sed cur ego vetera revolvo
aut expendo? Nonne iniqua hāc tempora mensuram implent
omnium anteactorum? Et quā perversē apud antiquos in hac re
commissa exemplis leguntur, nonne nunc tanquam ex prācepto
à ple-

Querela de
hypocriti
mūltorum
hominum,
& perversē
de alijs ju-
dicio.

à plerisque (ac si ea virtus esset) publicitus fiunt? itaque longè hodierna insania ac malitia priscorum culpas superat. Quod nemo nisi sanè proclivius est animadvertere , quam mihi , ὁ ἔρωτος φίλος , ut quæ humanæ fragilitatis vera exploratrix, ubi mores mortaliū certo oculo cœpi lustrare , falso pleraque titulo deprehendam inter eos , & ab eis insigniri. Mentitur enim prodigus liberalem , negligens facilem se jactat , temerarius fortē , avarus parcum. Numīum fallax ista vita,

Animis pulchram turibus faciem induit.

Vbi maxima latet impudentia , pudor præstruitur foris ; ubi nefaria audacia , prætexitur quieta pietas ; ubi animus vagabundā & ineptā persuasione imbutus , suisq; sibi delirij placens sedem posuit, frons *Ἑπισήμου καὶ πληροφορίας inscriptam præfert; ubi dominatur Moria, aut Hypocrisis , larvam sibi Tapeinophrosynes , sive modestiæ in sensu , fidenter sumit. Hoc adeo frequens vitium hujus ævi est , ut sanis consilijs ac remedij vix videatur locus. Et sanè intolerabiliter quidam se hīc efferunt , quibus sacra ista (quam superciliosè præ se ferunt) scientia aliud dic̄tare debebat , & si admitteret ipsorum pulmo , poterat. Vah , quam ego haec tenus crebrò ingemui , quam ista ægritudine me emaciavi , quotiens in falso dictos θεούς φύει illos incidere cōtigit , qui quasi per vim rapiunt se indigna nomina , titulos indignos : qui superbè auferunt ab ijs virtutum inscriptiones , quibus debentur , quorumque eæ propriæ sunt ? Video artes istas nunc vigere , & ideo expectorandum est , quod me malè habet. Est quoddam genus hominum , qui se omnium Modestissimos esse volunt , nec sunt hos ego auersor , his adversor sedulo. Clavem scientiæ , & interpretamenta mysteriorum , sibi vendicant , in gregem suum non admissuri quenquam , nisi peccatus phylacterio Pharisaico munitus accesserit. Hi ubi à porta eburnea reversi somnia sua folijs mandarūt , fiunt Pythagoræ , id est , novi Dij , & Discipulis suis tantum stuporem incutint , ut , quia IPSI DIXERUNT , nefas penè putent vel latum unguem ab ipsorum placitis & decretis recedere. Terrentur autem Discipuli ut plurimum Nominibus : adeo ut ultrò quidam nō quinquennalem illam , sed perpetuam *ἰχθυόντας sibi imperent : anxijs nempe , ne contra Magistrū mutiendo porticum perturbent , & foras exigantur. Ita fit , ut , postquam voluntariè mancipia *σωπτικὰ evaserunt , nunquam sustineant (si

* Scientiam
& certam
persuasio-
nem,

* Silentiū.

* Tacitu-
na , seu fi-
lentiaria.

vel maximè possint) etiam in minimis de præceptoribus suis jucicare : imò verò dentes acuere non verentur in eos, qui & liberiori & liberaliori Genio explorare, excutere & censere audent, de dictis & factis quibuslibet hominum , suæ fortis & ignorantiae difficultatibus obnoxiorum. Illorum ergo scita si quis inspiciat, & è nubibus sine ductore aut monitore sancto deducta, aut in Cœlo Phantasmatum nata ostendat; istis mox jecur tumet, & verè modestos dogmatum suorum inquisidores damnant , fœdissimis coloribus pingunt, explodunt, & si in modò ausint, Phari- Ioah.8.59.
saicis Syllogismis confutent. Expeditissima via est, iniquo aliquo nomine tales insigniēdi. Hinc ille *Rationis cliens*, iste *Animalis*, ille Hæretici-
Terrenus, alias *Novator*, hic *Hæreticus*, aut *impurus canis*, vel denique darū, & co-
Satan, &c. apud tales audit. Planè quisquis istis Polyphemis ob- rū qui alien-
viam ire, & manum conserere conatur, brutus est, aut canis, aut nís cōscien-
porcus. Ipsi interim sibi belli & festivi videntur : & ne fraus ap- tijs domi-
pareat, velut laffo papavera collo procedunt , suam contra om- nati cupiū,
nes alios Tapeinophrosynen deprædicant, & commendant, ac si mores de-
planè genuina Divæ illius proles ac deliciola forent: cùm nil ta- picti.
mē sit istis arrogantius, curiosius, & in abstrusa se ingerendi cu-
pidius. Quærunt se extra se, & Deū suum istic ubi non est inve-
niunt, scil. in capite suo: cū in verbo suo quærendū, & quasi com-
prehendendum, se se proposuerit. Vno momento cum Menippo
ex orbe Lunæ fabulantur , & res sibi extra omnes cœlos visas,
auditæ , quas nemo (imò neque ipsi) intelligat, capiat, aut cre-
dat, detonant ; mox altero momento vix terrâ caput levantes
Humilitatem crepant , id est, in dictis & sententijs modestiam.
Sed jam ego, quia novum non est, quod fit , hisce φιλαντῶν mo- fui amar-
ribus assuevi , & minus miror , esse & futuros semper dierum in- tiua.
speciem compositos, qui, quibus ipsi sordibus intus scatent , eas
foris adspersas alijs velint : fore etiam verè sanos non dubito,
quibus, cùm nitor externus nullus sit, sed tranquilla ac solida in-
tus omnia, id præmij à maligna turba cesserum sit, ut alieno no-
mine infames fieri , & aliorum vitia dependere cogantur. Ho- Modestia &
rum ego me Patronam fero, cui , ut & meis sectatoribus , nun- Temeritas
quam convenit cùm prodigiose illius Περιπέτειας sobole, quæ me diffident.
meosque passim insectatur, discerpit, enēcat, quantum potest, &
tum maximè jugulum mihi petere videtur, cùm gloriam Mode-
stie, quam propriam mihi vindico, in se plusquam audaci impu-

dentia transfert. Qui è tribu & schola mea sunt, id hactenus vi-
dent, & acerbis lacrymis deplorant, & ut maximè velint & con-
tendant, vix tamen animadvertunt, aut sperant, quo pacto glo-
riam meam mihi asserere, in colluvie tam prava, queant. Sed
quid hoc? An ea ipsa hujus mundi Diva est, quam verbis hisce
tango, quamque librare se per aërem video? Ea ipsa est. Heu,
quam verum illud, quod de ea multoties jam inaudivi, Nihil ejus
oculos fugere? Sic sàne res est: quam primùm prodeo uspiam,
& ad veram frugem homines componere studeo, iniquè illa me

Temeritas
præsum-
ptuosa &
vana scien-
tia.

consestatur, pedem struit, & cursum salutarem intersepit. Vbi-
que manus, ubique pedes, ubique oculos habet. Si de supercœ-
lestibus quæras, ea se perspecta habere jactat. Deum illa & Na-
turam sub jugum mittit, & utriusque secreta non tantum rima-
tur, sed & intrepidè, ut judex è tabula edictum, recitat, ac pro
arbitrio suo de ijs differit. De rebus aut cogitationibus mortali-
iū tam liberè & loquaciter disputat, ut circumforaneus aliquis
medicus de intimis Hippocratis mysterijs, aut profanus qui-
spiam de sacris Cereris. Quid illa nesciat? Roga eam, quid in
tertio cœlo Paulus olim viderit, quid audiverit, conabitur pan-
dere. Finget se sepe cum Filio hominis cœlo descendisse, & cum
eo adscendisse, & arcana voluntatis divinæ speculata esse. Hæc
illa una & sola est, quæ exactè novit, quæ nulli Angelo, homini,
alijvè creaturæ scire licet, aut datur. Dei illa solio scil. (ut Iovi
sua Themis) adstitit, & cum libet assistit, liberius ei conversatur,
curiosè inquirit in abdita, elicit ignoranda, percipit non entia:
imò ipsius rerum Domini consilijs se miscere audet, & decreta
fatalia de rebus creandis, maximè de hominum animabus, mi-
nima ex parte præcisè salvandis, maximaq; ex parte citra ullum
ullius culpè intuitū exitio destinandis, cōcipere ac trutinare præ-
sumit. Planè tam multa definit, ac patrat tam magna, ut facile
Deam agnoscas. Nullibi verò divinitas illa mysteriorum, ac
scientiæ sublimitas invenitur, quam in ejus cerebro. Dividat quis
illud Vulcaniâ aliqua securi, & centies millenæ Minervarum for-
mæ evolabunt, nulli humano ingenio comprehendendæ. Non
tam dives est unda maris piscium, quam caput illud Notitiarum,
id est, inanum speculationum, fictionum, phantasmatum, som-
niorum, persuasionum, errorum. Ex his Religionis suæ dogmata
pangit & propagat, & non sine ingenti hominum stupore, ac

Ivan. 3. v. 13

velut

velut quodam entusiasmo, animis suorum Discipulorum invergit, quos postmodum sibi mancipatos, Hermaram instar, adeo imbuīt, & indurat, ut mera sibi oracula callere videantur; nec tam tenax sit hedera parietis, aut polypus suæ petrae, quam isti sunt portentosissimarum opinionum suarum, eo quod è Iovis diphthera descriptas esse putent & glorientur. Nempe in illo hominum genere isti sunt:

Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.

Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt.

Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit,

Sciunt: quod Iuno fabulata est cum Iore,

Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ijsciunt.

Falso' an verò laudent, culpent, quem velint,

Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat sciant.

Sed, ut video, delabitur ea, & gressum ad me dirigit. Fortè venatrix auritas plagas extendit, & sermones meos captavit: ideoque facinus aliquod in me molitur. Necesse est mihi prospiciam.

PROPET. Tune hic nobis verba fundis Sapientia? jamdudum equidem stultitiae tuæ & ignaviae me tædet. Sublegi modò quædam dictorum tuorum, quæ satis arguunt, quam sis animi degeneris. Scilicet Modestiam, & Rectum de rebus sensum, de prædictis; sed prorsus vile sapis, imò perversè. Quid enim? Humi serpendum putas, ubi in altum evolare licet? & compendio discere, sapere, credere, ubi in excelsa, obscura, divina omnia patet aditus? Novi ego ista tua: *Piè sapit, qui modicè.* Nunquam bene cessit Phætonæ illa audacia cuiquam. Omnis in plano lapsus levior & lenior: ex alto periculosis, nocentior. Et, ipse humilimus de Deo sensus saluberrimos ad rectè agendum stimulos facilè addit, lasciva temeritas contrà præcipitiij occasio est. Multa tu talia, ex more, Arcadio tuo gregi inculcas: sed nugæ, & imbellis aut desperati ingenij voces sunt, quibus malè imples tuos, & mentes alioquin ad sublimia tendentes ad terram adfigis. Pessima nota est, non audere frontem attollere, & se volante in cœli loca celsa alà non levare, ac in penitos supercaelium recessus fese non penetrare. An nescis, quam turpe sit homini, ad magnâ nato, catoblepam imitari, & capite semper in terram dejecto vix repere? Hoc quisquis facit, spurius est, & originis suæ, quam ex cælesti arce duxit, oblitus. Mihi nunquam tam projecta mens placuit.

Temeritis
audaciam
tuâ, & ejus
fructus co-
mendar.

Itaque postquam audere cœpi, & arcanis Dei me inferere, mirum quām longē lateque se in cognoscendo explicaverint animi vires: quām mihi nunc liquida & clara videantur omnia. Multa ergo qui scire ac prolixè sapere cupiunt, ijs mecum ascendendum est, explorandi aditus ad curiam divinam, scrutandi conceptus Dei, rimanda & excutienda incomprehensibilia ejus decreta, præcipiendi istorum modi, causæ, fines, effectus, &c. Nihil intentatum relinquendum est, ut omnia teneas: quantumvis sint qui garriant, multa nec sciri posse, nec debere, eo quod summum Numen illa occulta esse voluerit. Ego heroicā meā audaciā id affecuta sum, ut non dubitem adeo mysteriorum plenam me dicere, ut vix amplius sufficiam magnitudini. Quotiens autem nocta sum Numini Majestatiq[ue] meæ devotos, ijs libera-liter thesauros meos aperio & communico. Pando quæ inter nubes, cum ibi versarer, viderim, quæ in cælum turbâ audirem, quid mihi in aurem insuffurrarint Angeli, quid ex tabulis Parcarum (nam & eas me inspexisse puto) descripserim, quæ consilia in confessu dictarim, quæ responsa, quæ mandata à Deo ipso tulerim. Vno verbo, innumera edoceo, quæ nullis hominum nisi meis clientibus, somniare & opinari licet: nullum acumen meas revelationes, visa, spectra, portenta, imaginationes assequitur, nisi quibus me familiariter patefacere dignor, quiq[ue] in disciplinam meam volentes lubentes se tradunt. Quorum adeo non infrequentes numeri sunt, ut si pugna in te tuosque milites pugnanda sit, facile vincā multitudine: dein & audacia, impetu, & *περιουσούλη*. Soleo enim triplici ære pectus præmunire meis, ne cedere aut labascere velint, sed audentiores semper contrā eant. Ipsi vero ductores aliquot (Vicarij mei) haec tenus tam animosi fuerunt, ut vix Herculeos magis spiritus pro regno & autoritate mea stabilienda quisquam potuerit gerere. Suntque etiamnum, qui ad prodigium usque se extollant, ac pro me dimicent, quorum ego virtute & audaciā confisa, triumphum mihi abs te propediem spondeo.

Orthosophia se animat ad con-
seuum. **ORTHOSEOPH.** Ecce autem novam mihi pugnat, nec (ut hujus impetus video) quam facile declinem. Conferenda itaque est manus. Tu tantum ne labasce, anime mi, nec, dum assertum validis veritatis stabilimentum, successum & victoriam despera. Dabit is in prælia vires, qui se Veritatem dixit, quiq[ue] est eritque semper.

femper. Donec orbē hunc mortales turbæ colent, donec etiam inter illas assiduis conflictantem insultibus Autor & Rektor meus diurnare me volet, perpetua mihi & inevitabilis hæc fors erit, ut calcibus superbæ hujus Diæ (sic à suis habetur) ejusque familie petar.

Tu verò, quin tandem desfinis delicijs illis tuis compasticis tibi placere? Usqueadéone egregium putas magnificis (falsis tamen) dictis veram Modestiam pungere, subsannare, confodere? An laudi & gratiae tibi apud mundi verum Dominū, Deum meum, & germanos ejus discipulos, fore putas, quod etiam cœlum ipsum audaci petis stultitia? nec per curiosas speculations, ac temerarias dogmatum definitiones, quæque hinc necessariò pendent dissentientium iniquas condemnationes, iracunda finis Deum ponere fulmina? Temerè te infers in adyta secretorum divinorum, & claustra securè perrumpere tentas: imo &, quantum in te est, ipsi Deo formulas præscribis consiliorum. Quæcunque tua tibi phantasmata suggerunt, ea Deum vis decrevisse ante omnia sæcula, in primis de Homine, condendo nempe, salvando, perdendo, ad peccata constringendo: & illo quidem enthusiasticè ad fidē convertendo, inq; ea retinendo; hoc a. absolute & necessariò indurando, excæcando, deferendo, & æternis penitentiis affiendo. Et quid quæso hic nō statuis? Nullus phreneticus tam crassè, horribiliter, & infandū de actionibus Dei, & Decretis ejus circa hominū plurimos garriat, atq; tu soles. Interim securè te jactas, nō aliundè quam ex Oraculis Spiritus S. tua mysteria depromi. Quod an verū sit, audies ubi Camarinam tuam movere lubebit. Verum si tuas tibi delicias sola haberet, ferri, aut neglegi saltem jure posses. Nunc intoleranda tua non immitterò videtur ferocia, dum, qui easdem tecum absurditates (ne dicam blasphemias) non amplectuntur, & ebuccinant stentorea quasi quadā vocis tubā, primum contumelijs lacefisis, falsis & ridebris nominibus describis, falsis & invidiosis epithetis oneras. (Quorū enim nisi hic pertinet (quod & suprà sola dolui) quod alij Discipulorum tuorum, eos perperam modestos, aut simulatè moderatos, alij istos Rationis Clientes, similibusque lividis appellatiōnum coloribus depingunt?) Deinde inhumanissimo odio prosequeris, devoves, abominaris, ac velut catharmata abhorres: & si arbitrij ac potentiae tuae foret, culeo infutos omnibus elemen-

Vid. mar-
ginal. nor.
ad c. 21. l. 3.
l. 3. Inst.
Calv.

tis spoliaries. Cur autem? nisi quia Dædalæ quadam modestiâ & humilitate gaudentes, Icarium tuum remigiū imitari nolunt, & ab eo præcipitum metuunt. Hinc tuâ operâ fit, ut tanti fluctus in sympuvio moveantur, ac à multis de me meisque Discipulis tollendis jam conclamatum sit.

PROPET.HEM tibi autem! quām planè ego nunc animadverto, tibi parum propitos esse Divos, quæ tam liberè in me incurrere non dubitas. Quanquam te verò infra iram meam, imò infra vilissima omnia reputem, nec dignam, cui ad temere dicta respondeam (sublimitatem enim meam dedecorem, si in pulverem tuum demittere me velim) tamen, cùm non obscurè perceperim, dogmata quæ amatoribus meis dictare, & intimis ipsorum medullis imprimere soleo, tibi non ex Scripturis divinis, sed corrupta aliqua imaginatione, & lasciva ingenij speculazione profecta videri: Ego verò contrà contendam, nil aliud quām ipsum divinorum eloquiorum Genium redolere, quæ spirare consuevi, & jam hactenus creditum sit à non paucis, me, prout etiam animosè hucusque præ me tuli, divinæ mentis veram interpretem esse: age experiamur, utra in retinendis fontibus S. Scripturæ pertinacior sit, utra sententiae veræ certior. Atque in eo ipso themate de æterna Perditione, & necessarijs Peccatis hominum, quod non ignoro à te tuisque odiosè & probrosè nimis traduci, clamosè explodi, cordatè oppugnari, non verear calculum ipsius Scripturæ implorare, &, pro me eam pugnare, ex ipsamet contendere. Tu quid pectus pugno feris? an animum evocatura es foras?

ORTHOSOPH.EUGE bellè. Scies, quare id factum. Non est argumentum aliud, quod nunc magis inter nos velim ventilari, & in quo temeritatem ac inscitiam tuam, O Propeteia, nudiùs prostiucas, & tibi ipsi jugulum incidas, quām istud. Est quidem & in alijs Curiositas tua inordinata fatis, sed hic effrenis planè, & abit extra omnem metam. Nec sola ea est, sed comites secum trahit Arrogantium satis Censoriam, servile Præjudicium, Ignorantiam, Errorem. Quærvis quomodo? Quia affatim ejusmodi Enuntiatorū ponis, doces & urges, quæ partim ipsa secum dissident, partim nec quoad verba, nec quoad sensum cum Scriptis sacrīs convenient. Vin' gustum dari? Ecce tibi:

1. Deus priusquam decrevit homines creare, decrevit perdere.
2. Deus

2. Deus decrevit citra respectum peccati plurimos reprobare.
3. Non omnes homines à Deo in Adamo ad eundem finem creati sunt.
4. Adam efficaci consilio Dei lapsus & vitiosus factus est.
5. Adam lapsus est necessariò , ratione & vi absoluti decreti di-
vini.
6. Deus est autor illius rei, quæ homini Adamo (& proinde om-
nibus hominibus) peccatum fuit, & est.
7. Deus efficaciter & absolutè voluit aliud ab Adamo fieri,
quam lege lata præcepit.
8. Deus Adamo ante lapsum nec dedit, nec dare voluit, liberum
arbitrium, seu voluntatem liberam.
9. Deus efficaciter lapsus Adami procuravit , neque tamen est
causa peccati.
10. Deus ideo præscit peccata , quia , ut illa fierent , efficaciter
decrevit.
11. Maximæ humani generis parti ex absoluto, & omnes causas
antegrediente, decreto Dei mors æterna præordinata est.
12. Reprobi ad peccata præcisè prædestinantur , quemadmo-
dum prædestinantur ad interitum.
13. Deus occulto impulsu , & motu energetico , constringit re-
probos ad peccandum, ut non possint non peccare.
14. Deus absolutè vult , & efficit , ut impij in desiderijs suis vi-
vant.
15. Christus tantum est effectus , & instrumentum, seu medium
prædestinationis , neque ullo modo fundamentū ejus, seu causa.
16. Christus tantum pro aliquibus, h. e. solis electis, est traditus
in mortem.
17. Reprobi non magis possunt salvari, quam diaboli.
18. Multis absolutâ & primariâ Dei intentione verbum Euangeli-
j prædicatur non in salutem, sed ad graviorē damnationem.
19. In Deo nulla est voluntas , quæ homini quidquam promittit
cum, vel sub conditione, sed una absoluta.
20. Præcepta Dei non sunt voluntas Dei, nisi cùm re ipsa præ-
stantur.
21. Deus interdum in eodem negotio induit duplē personam, seu voluntatem.
22. Deus vult reprobos in filium credere , quibus tamen gra-
tiam

mata, quæ
Proprietate
ut Scriptura
ræ confona-
vult recipi.

tiam nullam, seu facultatem, credendi largiri vult, idque ab æterno sic decrevit.

23. Deus multos ab aditu salutis arcet, contraq[ue] exitio destinat, & necessitate peccandi constringit, ex mero tantum beneplacito.

24. Vix millesimæ mundi parti salutifera Dei gratia illucet, idque ex absoluto & primario Dei decreto.

25. Deus opus habuit peccatore: Nam sine eo non potuit pervenire ad manifestationem gloriae suæ.

26. Princeps causa incredulitatis est Reprobatio absoluta: illaque hujus effectum est.

27. Deus non vult omnes salvos fieri: ne quidem omnes vocatos, sed eos tantum, qui re ipsa salvantur.

28. Nemo potest resistere Spiritui Sancto, volenti per verbum hominem convertere: nec quisquam, per consequens, re ipsa aut actu resistit unquam.

29. Qui semel verè credere incepit, eum constat nullis peccatis eò posse delabi, ut seu totaliter, seu finaliter, à gratia excidat.

30. Nec ipsa peccata possunt nos à Dei charitate separare.

31. Etiam reprobri creati sunt propter electorum salutem, ut haec scilicet per illorum exitium melius elucescat.

32. Contra voluntatem divini beneplaciti, h. e. quamlibet absolutam & simplicem, nihil fieri potest.

33. Reprobis omnia cooperantur ad damnationem, etiam ipsæ preces, aliaque bona opera.

34. Electio particularis nullis malis meritis nostris immutari potest.

35. Deus innoxios foetus à matrum uberibus avulsos in æternam mortem præcipitat.

Prædicta
themata
animose à
nonnullis
defendi &
credi,

Tyrrenijs
dubitatio-
nibus,

Sed jam rivos harum undarum claudio. Longè plura hujus genij sunt, quæ nescire non potes, ex uberibus tuis jam olim Discipulos tuos suxisse, & ab horum affectis pro istis acrius decertari, atque olim pro Phryxaeo vellere à Colchicis custodibus fuit pugnatum. Et sunt illa apud te tuosque Phœbaea oracula, quibus omnes porticus personant: apud me verò gerræ germanæ, atque ædepol noxiae lyræ, quibus minùs equidem assentior, quam πυρρωτούς στρεισας. Tibi, si ista me vis credere & amplecti, exerte ostendendum est, ubi loci talia legenda occurrant in sa-

cris

eris paginis. Quis Propheta, quis Euangelista, quis Apostolus sic loquatur. Christum verò sic locutum esse tantum abest, ut vix credam, in mentem illi unquam ejusmodi figmentum aliquod incidisse. Imò verò plurima ejus notavi, quæ ista tua absurdia (ne pejus nunc appellem) ex diametro petunt & invadunt, nec secum consistere patiuntur. Ut palam sit, Euangelij summam theorematis istis nequaquam contineri, sed potius labefactari, aut prorsus everti. Et quantumvis frivola, vana, & falsa sint illa, tam compertum est, in hunc usque diem Semones hic illic quosdam se extulisse, qui sub tuo numine & signis militantes fervide tueri eadem conarentur, & siparium Verbi Dei obtenderent, ut aliqua ijs foret (vel speciosa saltē) authoritas. Quo autem spiritu, quibusque animis causam illam tuam egerint, plus satis produnt ipsorum libri. Principes ipsorum ita ferè se componunt, ut, Quibusan-
mis, quaque
contentio-
ne res ista à
multis aga-
tur? dum assertum eunt disciplinæ suæ integritatem, ferro malint & nervis, exilio & igni, quam Verbo Dei vincere: & plus exhibeant adversarijs suis (qui auspicijs meis in ipsos progreduntur) negotij & periculi, quam si Draconi ignivomo, aurei velleris defensori, committerentur. Qui verò aliter sentiunt, & vulpinam affuere consultius arbitrantur, cum larva prodeunt, amicos & placabiles fronti titulos inscribunt, ut tutius fallant. Et utrisque interim unicum id studium est, Portenta istarum opinionum stabilire, & pro ipissimo haustu sanctæ & liquidæ veritatis propinare miseris animabus succos tam exitiales. Invita quamvis, senties tandem, me Sibyllæ folium tibi recitasse. Sustineas me tantum paucula dictis (rei confirmandæ) adjicientem. Prodiit nuper (dicendum enim est) personatus quidam Polydamas, qui, ubi non obscurè mancipium sese tuum professus esset, ineptè nimis se Alumnum meum, & sororis meæ Tapeinophrosynes, Acceditur
propius ad
autore Tae-
peinophro-
synes. mulavit: sed facile à Clientibus meis dolus ille deprensus est. Cùm enim duo omnium stultissima & falsissima Principia adstruere tacitus fatageret, videlicet: *Deum dici posse autorem peccati, si non propriè, at impropriè tamen:* Et: *Adamum ante lapsum non habuisse liberam agendi utrumque voluntatem, tam bonum scil. quam malum:* quæ nemo verè sanus unquam cogitaverit, nec quisquam ex illo tuorum Gigantum exercitu (nisi fortè ignobilis aliquis, & adhuc in obscuro latens) hactenus tam crudè protrudere ausus est: & nihilominus titulo Humilis & Modesti sensus sese venitaret,

ditaret , statim fuere ex meis qui exclamarent,

Humano capiti cervicem pictor equinam Iungere si velit &c.

Recte enim & piè existimabant,nihil tam longè abire à vera illa & genuina,quam Spiritus Christi instillat,Tapeinophrosyna,atque ista perversè de Deo, præter & contra verbum ejus, concepta dogmata. Vt cunque verò incrustentur verborū lenocinijs, ac ratiuncularum tectorio , in fundamento tamen nihil nisi putidæ blasphemiae sunt , materiam suppedantes enormibus absurdis in Religione Christiana concipiendis. Quod nisi sèpe ab alijs ostensum jam esset , facile hoc loco à me demonstrari posset. Sed in progreßu fortè plura de his audies.

Propretia
& hunc &
Magistrum
ejus dilau-
dat.

PROPERET. Scio quam rem agas: Geminum scilicet Deliciolum meum tentatum , & explosum ades , Magistrum simul & Discipulum,utrumque mihi probatū & fidum. Sed frustra eris. Vterque sanè dentes habet, nec dubito , si antiqua illis vena est, quin in vanum sis misura ictus. Mortuum alterum probè tutabitur mordax acrimonia , & altivolum ingenium : vivum alterum securum plagæ præstabit acumen,& huic conjuncta audacia. Atque utinam ejus animi sis , ut Leoni huic barbam vellas ! experieris , quām parvū sibi à vobis humirepis milites mei metuant , qui ex alto vos quieti despiciunt. Si quid generosi sanguinis habes , aude aliquid in meum Hectorem , & armigerum ejus , qui nunc pectus illius ægide præmunire incipit : videbis te crabrones irritasse. Iamdudū illi pectus salit ad futurum conflictum , & dari sibi avet , in quem universas abstrosissimarū contemplationum suarū copias educat. Atque adeo res,quam illi agunt , & ad quam statuminandā ipsis à me suggestur & animus & arma, hujusmodi est, ut brutum vestrū stupore non expavescat. In hac duplice adminiculo isti mei fese suffulciunt,libris seu textibus sacræ Scripturæ ; & à me liberaliter suppeditatis Glossis,id est, mirificis & ignotis vobis interpretationibus,allusionibus,quæstionibus,solutionibus, &c. quas tantum sapiunt, quibus benignior aliquis à me radius affulgit. His salvis nemo temerè illos irretitos tenuerit : nec stare contrà quisquam facile poterit , aut eorum impetum sustinere. Sed quid ego verbis virtutem prædicto! Hem ades.

Item artifi-
cium illorū
in traclan-
dis dogma-
tibus.

Retunditur
inanis ja-
gantia &
provocatio
Propretias.

ORTHOSEPH. Interfari libet , nam aperta nimis & procax tua provocatio est, quam ita instituis & coloras, ut mihi infamiam, meis

meis Aſteclis terrorem, apud credulos concilieſ. Et ita me Fides juvet, ut ego ex pigmentis tuis amplius mysticū illud cerebrum tuum discere pergo. Quid? Tune (ſed inflata opinio cæcutire homines cogit) putas extra tuum ſodalitium neminem inveniri, cui dia Minerva pectus locupletari? neminem, qui μεγαλωχιας Iactantias. veſtras noverit? neminem, qui confidere monſtroſos veſtros foetus, & hydros deliriorum incidere valeat Herculeā manu? Erras. Prodierit forte alicubi opinione veſtrā Therſites aliquis, quem verbulo vos non dignemini, qui putidas veſtras nārias dignè excipiat & repellat. Et ſolet plerunque Rex meus puſillum aliquem Davidem opponere prodigioſæ jactantiæ Goliatho, & illi ex hoc victoriā decernere. Id, ſi forte non nunc, indubie olim tibi (ſic jure me ſperare faciunt judicia Numinis) uſuveniet. Interim, quia ſic viſ, ego me tuis iuſtibus, tuorumque acerbis Opponit & punctiōnibus, oppono: ſi non omne mare, ſaltem fluctus illi Ortho- aliquos sermonis, ſatiſ ſuperque in Deum injurijs. Cur hoc non liceat? Si Discipulo tuo iniquo me nomine, iniquiore etiam peri- phraſi, inſignire non diſplicuit (videbis paulo pōſt) cur mihi non foret integrum, veram, piam, Deoquē glorioſam (utut tu aliter judices:) cauſam adverſus tuas traditiones, & ſcholaſticas tuorum decisiones, quæ vobis articulorum fidei inſtar ſunt, afferere?

PROPET. Quin ergo telam ordiris? Vacivas ego tibi præbebo ædes aurum, dum in meum Clientem & Tapeinophroſyuen ejus declamas.

ORTHOŠOPH. Nec clamare, nec declamare mihi animus eſt, ſed piē, modeſtē & verē diſcerere, & rimas tuorum ſophiſma- tum obturare, cum bono Deo. Tu me hoc agentem benignè (ſi tantū potes) deinceps audi.

Principiō igitur expediendi mihi *Libelli Titulum*, non exigua indignatio animum meum ſubijt, quod Cliens tuus adeo palam ineptum, aut iniquum etiam, ſe oſtenderit, ſibi & dogmati ſuo ex aliena poſſeſſione rapiens inconvenientem proſuſ Titulum, ſive Inſcriptionem. Quibus enim comitijs, quibusque ſuffragijs eū meruit? aut quā Prætoris ſententiā ei adjudicatus eſt? oſtentat libellū. Turpis planè in limine lapsus. Si unquam verum eſte experta ſum illud verbi: *Aliud in Titulo, aliud in pyxide*, ita me ſalus amet, in hoc diſcurſu Clientis tui id palam deprehendi. Quid enim * ὅπηγεφη illa nimis ξενοσολόγον ſonat? quid pollicetur?

Examina-
tur Titulus
libelli Vr-
baniani.

Vid. Prova-
Intus He-
cuba, foris
Helena.
* Blandilo-
qua inferi-
ptio.

Matth. 11.
v. 28.

Modestiam
in sensu.

Humilem & modestum de Deo & divinis sensum. Putet melior aliquis Magistrum meum, expansis ulnis consistentem, ad virtutem sibi congenitam invitare: *Λεῦτε τές με πάντες: διπλαγός εἰμι & Ταπείνος τῆς καρδίας.* Itaque qui labra admovet mellitæ circum oras pateræ isti, Iovem lapidem juret, esse meracam sanitatis portionem: sed ubi largius hauserit, & latice uberiori fese proluerit totius cadi, deliquium paulatim sentiat necesse est, à liberaliter mixto absynthio & felle. Cur sic censeam, quæris? Prae se fert, quasi modestè & salubriter de Deo sentiat, (de Libello scias me loqui) quasi verè vera ejus judicia deducat, falsas opiniones protelet, atque ita homines ad genuinam *ταπείνωφροσύνην* manu ducat: & in ipso tamen progressu sermonis *Malum* (puta Peccatum) ad *Deum, tanquam verum, primum, & supremum autorem* refert ac deducit. Quomodo coloret, mox audies. Nam ista Disputationis futuræ summa est. An verò hoc humiliter, modestè, piè sit de Deo loqui, aut sentire, audaciam, sis, tuam interroga. Meritò igitur statuo, Titulum habere remedium, pyxidem verò ipsam venena. Et quid aliud colligam, quam aut non cogitasse, dum Titulum præpingeret, quid in Libello tractatus esset, aut currente rotâ oblitum, quale vas fingere inceperit. Adeo planè summa imis, prima medijs & ultimis discrepant. Quod alibi fortè, ubi occasio dabitur, plenids movebo, & cicatricem hanc tibi refricabo. Interim illud cogita, quam justè infra Titulum adscribi possit, iudic debeat:

Frontis nulla fides.

Quisquis nec maligno, nec conniente oculo totam dissertatiunculæ dialogisticae seriem, structuram, scopum lustraverit, deceptiunculam facile animadverteret, & Clienti tuo aurem perpellens, illud non inscitum insuffrabit,

Quod sis esse velis, nihilque malis.

Quali titulo dignior fuisset ille libellus.

Interpretæ.

Si convenientem (uti fas fuerat) horrendi dogmatis tractationi Inscriptionem præfigere voluissest, aut re ipsa præfixisset, (qualis ista similisve esse poterat, *Moria lasciviens*: aut *Hypocrisis Veritatis recalcitrans*: aut *Necessitas peccandi plusquam Stoica*:) laudem forte meruisse poterat ingenuitatis, & fidum *ἐγυνώτῳ* præstitisset Magistri sui sententiae. Verùm ne è Frontispicio conjecturam caperent spectatores, quid in domo latèret, religiosum *Ægypti* sacerdotum astum imitari, quam rem ipsam verbo effari ac præsignifi-

significare maluit. Ut enim illi quondam templa elaborato marmore constructa, auro splendida, picturis mollioribus extrinsecus egregie perornata, colorum varietate distincta, omnique cultu nitidissima habuere, cum intus sorderent putidissimorum animantium, ibidis, felis, scarabæi, crocodyli, bovis, &c. imaginibus; sic iste ^{a σπεδασης} tuus titulo magis ^{b ἐλεγικῶν}, quam suis ^{a studiosus,}
^{b trahente,} delirijs germano, incauto spectatori imponere religiosius putavit. Hoc de Phylacterio isto judicium meum est.

^a fautor.
^b seu alliciente.

PROPER. Siccine tu in ipsis carceribus? quid me fiet in meta?
 Admordes quidem Titulum, qui te male habet: sed scire te velim, cautè Discipulum meum & bonis rationibus istum sibi praescripsisse, quas stupor tuus nunquam indagabit, aut expendet. Nec verò, uti confido, fine suo frustrabitur. Nam uti hactenus experta sum, non paucos inter Aristarchos meos, velut mellitis simas delicias, Ratiocinationes hujus mei Clientis amplexos esse, ac penè devorasse: sic deinceps etiam alios subtilium & ætherearum speculationū amantes, avidè expedituros esse acumen illud, vel maximè in Titulo ostensum, successus mei mihi pollicentur: quò misellæ tuæ cohorti illudere, & rationes ejus omnes confundere queant. Fatiges igitur te licet in isto carpendo, genuinum tamen citius franges, quam imprimes. Ego artibus ictis sectatores meos imbui, quæ, quoties ita in rē meam id facere vîsum est, interdum ^{Aρτες suas} ^{πεπλοφορούντες} habitum, positâ verâ meâ veste, sumo, ut scilicet speciosius Dei Legatum me venditem, & credulis commendem. Si enim in augusto meo splendore semper appaream, infanire me dicant humiles saepe nimis animæ, nec haberent dictis meis fidem. Hoc compendio illos vinco, & tandem mysteria mea illis instillo. Ex lege igitur disciplinæ meæ factum à meo Cliente: neque hîc & hoc tempore aliter debuit, aut potuit commodiùs, quo quam multi tuorum conspirent, & mihi lumbifragium minentur, quotidie sentio. Sed nihil proficient. Quicquid enim telorum in me torquebunt, astu ego repellam, & absurdum absurdo aut vincam, aut morabor.

Propet. Ti-
 tulum de-
 fendere co-
 natur.

ORTHOSOPH. Rectè verò in rem tuam. Et hoc accuratè hîc imitatur cliens tuus. Cum enim videret fore, ut si sola & incomitata Tapeinophrosyna prodiret in scenam, vapularet, sociam illi ^{Tat} ^{Quas Dia-}
^{logista ex-}
^{primit, etiâ}
^{in epithete}
^{Tituli,} Ilionem adjunxit, quæ & invidiam declinaret, aut hypocrisin tege-

ret, aut denique legem æquitatis præferret. Itaq; non jam nuda ea amplius est, sed RETALIANS TAPÉINOPHROS YNA: id est, quæ meritò ipsa atro calculo notata, carbone etiam alios, puta meos Affeclas, notare conatur. Quid autem retaliat? quid vicissim reponit? Nil equidem, nisi quoddam fictiones suas mihi adscribit. Quæ nec ego, nec meorum quisquam diximus, aut scripto testati sumus unquam, imo quæ palam impugno, (cujus genij est, quod ex libertate voluntatis Adamiticæ cudem Deum autorem peccati:) ea iste tanquam mea producit, & traducit, ut alijs fucum, mihi invidiam pariat. Idque specie quadam nominis, quod Sophistæ tui cum horrere videantur, tamen ad patrocinium suum nimis industrie usurpant. Cæterum de hoc post viderimus.

PROPET. Levicula ista sunt, nec me aut Clientem meum valde feriunt. Quin ad rem aliquid dicis, & ad expugnandam arcem arietes tuos admoveas. Lubet audire, quantum disputando contra meum acumen valeas.

ORTHOSEOPH. Quæ dixi de Titulo, non nisi in transitu monere, de majore aliâs cautu adhibendo, volui, ne Aurum, quod dicitur, subæratum pro vero venditur simplicioribus. Nunc ergo ad rem ipsam. In qua excutienda (quam ferè summam dicendorum ad Dialogum tuum esse volo) hæc tria potissimum inspicere operæ pretium duco:

De materia
Dialogi dis-
putari in-
cipitur: in
quo Tria
proponun-
tur excu-
tienda.

1. An vera ista sint, quæ simpliciter & admodum crudè Cliens tuus in rectam sanamque Rationem differit? quasi hæc in divinis bruta & stolidæ sit?
2. An, quoddam ipse unicè intendit, Deus ullo modo (sive propriè, sive impropriè) dici possit aut debeat Peccati autor? Et, an ad hoc Paradoxon mutire debeat homo, stupeat Ratio?
3. An Adam ante lapsum caruerit libero voluntatis usū? Et an necessitate absolutâ, h.e. pendente à decreto Dei absoluto, lapsus sit?

Huc referam, quæ hoc tempore dictu oportuna videbuntur.

PROPET. Egregius campus: quem cum non infelici pede decurrerit Cliens meus, valde ego vereor, ut cum gloria hinc discedas. Ille, quantum aquila visu talpam, aut cervus velocitate cochleam anteit; tantum ingenio te & acumine antecurrit. Itaque peccabis in hac arena, & post casum, senescens velut equus, ridendus ilia duces.

ORTHOSEPH. Ista Iovæ fuerint curæ: ego pergo. Multa Cliens
 ille tuus scopticè & præpostorè de Ratione , & in Rationem di-
 xit, quæ, ut fraud pateat, paulò liberius repetam, & meam sen-
 tentiam fusiùs explicabo. Quid, quæ sim, noveris, scire mihi li-
 cet ex fraudibus, artibus, & iusultibus tuis, quibus passim hacte-
 nus me lacefisis, & (si queas) supplantare studes. Sum tamen (ut
 amplius scias) *Orthosophia* illa , quæ non tam verbis me jacto,
 quām reipsa sum Magni rerum omnium Creatoris, Gubernato-
 ris, Conservatoris Cliens humilima , divinæ ejus veritatis mini-
 stra, voluntatis ejusdem ex verbo ipsius revelato nuncia, fingere
 aut edifferere quidquam , quod in thesauris eloquiorum divino-
 rum nō extat, nescia, nec suadere aut instillare quidquam docta,
 quod pium de Deo sensum non redoleat, veram Modestiam
 non inculcat, opera & officia pietatis non urgeat. Idque cùm ad
 prescriptum Magni mei Principis Christi, cui hunc ipsum fuisse
 scopum locuples testis est Scriptura sacra : tum ad exemplum
 Legatorum ejus , quos hoc operam suam contulisse eadem lo-
 quuntur monumenta. Ad has officij mei partes dextrè imple-
 das , cùm multas ego alias in comitatu meo duco pedissequas,
 (ita benignus in homines est Rex meus, ut non uno adminiculo,
 sed multa & varia manuductione , juvare eos velit) tum potissi-
 mū lateri meo adhærent gemellæ, *Ratio Recta, & Scriptura Ve-*
ritas. Harum alteram qui invadit, aut lædit, meipsam lædit.

PROPERT. Vah, tanto deterior, & fide indignior, quò illam (pu-
 ta *Rationem*) firmiùs tibi adglutinaveris. Quandiu de *Veritate*
 gloriari tibi libebit, ridicula mihi meisq; erit istius jaçtantia
 vanitas, donec illam in sodalitio tuo tuleris. Et ex hoc ipso jam
 certò arguo, cœlestem Veritatem, quæ cum Ratione consistere
 nequit, à tuis partibus non militare. Ea enim (maximè quæ est
 circa actiones divinas & salutares) Rationis brutum stuporem
 non admittit, sed in ordinem cogit, ac Fidei imperio subjicit. Proprietia
 Hinc etiam scire posses, nisi hebes effes, Verum à me stare, quòd
 ea mihi potentia est, homines ita capiendi, ut velut vehementi
 quodam (& quid Veritate fortius?) impulsu rotati, sese Revela-
 tionibus meis submittant, judicium omne Rationis projiciant,
 & fide, sive credulitate, prona ducantur. Tui contrà, quò largius
 Rationi indulgent, & stultis ejus conceptibus obsequuntur, eò
 longius in avia procurrunt, & à vero abducuntur.

ORTHOSOPH. Scilicet, ut jam antè ostendi, imposta ricem agis, & ut cautiùs fallas, alienam personā tibi induis. Similis illi apud Poëtam, quæ haud ignara nocendi,

Iris. Aen. 5. — faciemq; Deæ vestemq; reponit,

Fit Beroë Ismarij conjux longæva Doricli.

ita pannosam & laceram te nonnunquam incedere juvat, quæ aliquin multitijs induita, auro gemmisq; relucentibus interstincta, mundi opes tuas agnoscis, ut falsa imagine ludere queas. Sed illam laureolam, malis technis quæsitam, nemo tibi bonus invidet. Interea quæ tuo more (quem strenuè hoc ævo principes quidam tuorum Stentorum referunt:) in Rationem detonas, videamus.

Defenditur Ratio recta cōtra fucos Propretias, Repono igitur, in ijs quæ invidiosè in Rationem dixit Cliens tuus, aut dolosè, aut imperitè versatum esse. Imperitè: si ignoravit, aliud esse Rationem, prout à nonnullis (& indubie hīc ab ipso met) vulgari notione sumitur; aliud Rationem Rectam, sive sanam. Vtramque mox expediam. Dolosè: si (quod quis non temere crediderit) scivit, & dissimulavit: atque ita iniquo nomine rem non modò non malam, sed & utilem, & planè divinam, contaminavit. Talem ille Rationem inducit, quæ in commercium hujus nominis venire nec debet, nec potest. Quas enim curas, officia, studia, fines fictitiæ suæ Rationi tribuit, ea non Rationis, sed Stultitiae, Insaniae, Socordiae, aut alius Defectus sunt.

Quod vel abundè ex mediæ priscorum Philosophorum Scholæ præceptis docere possim: nedum ex lumine doctrinæ cælestis. Ille *Φρόνμα σεγος, ἀντὶ δοθε λόγι, η υγέθ, indiscriminatim ponit. Aut, ut Scriptura S. loquitur, νόμος ἐπαιρμενον κατηγορεως θεος, h.e. carnalem sensum, qui nec ad Legem Naturæ (quæ sane bruta non est) nec ad dictamen Rectæ Rationis, quæ nil aliud est, quam particula divinæ mentis in Natura relicta, sat is attendit; neque juxta sancta Dei ipsius Præcepta, olim Christi & Apostolorum voce tradita, vivit, sed malignè veritatem in injustitia detinet: hunc sensum, inquam, sumit ille pro eo, qui nihil rectæ Rationi repugnans admittit, sed immota ejus principia suo loco retinet: imò pro eo, qui & normam recte vivendi, & notitiam invisibilium Dei, summamque legis ipsius inscriptam habet in corde, & illam pro mensura sibi communicata sequitur. Idque omne Dei beneficio: qui ictius etiam magistræ ductu coli

* Rom. 9.

v. 6. 7.

1. Cor. 2.

v. 14.

Affectum

carnis pro

recta seu

sanæ ratio-

ne,

2. Cor. 10.

v. 5.

Confess.

Begl. appell.

Lat. Scintil-

lalas divina

imaginis.

Art. 14.

coli & glorificari, sibi quæ gratias agi voluit ab illis, quibus olim scriptam Legem promulgari non voluit. Illa Ratio prior (utar Catachresi tui Clientis: alioquin nobilius hoc nomen est, quâm ut isti ignavæ malitiae adscribi debeat) mala est, stolida, bruta, execranda: nec unquam tam bonæ venæ, ut quicquam de cœlestibus aut supercœlestibus serio cogitet: multò minus, ut cerebrum sibi in talibus investigandis aut intelligendis laboriosè rumpat. Hanc per me licet catoblepam dicas. Quâm vanum igitur, quæso, huic tribuere, quod ne millesima quidem parte solet attingere! Eam de Deo, de visione ejus, de Angelis, de beatorum cœlo, de VERA SAPIENTIA (nota) de beatorum animabus, &c. protrahere disputantē, cui nihil minus ex vero & adscribatur, & re ipsa quoque competit, quâm rerum talium cognitio, aut cura? Et an tu putas, hanc ipsam fictitiam tuam Rationem tam fore (si ipsa loqueretur) fatuam, aut beluinam, ut post tradita aliqua forte dogmata, ad divinas speculationes pertinentia, subjiciat illicet, in Verbo Dei ista non extare? Illud est, hunc in modum orantem illam T. ap. 2.2.5. inducere: Ego vobis, Discipuli & Sectatores mei, mysteria & lin. 24. consilia Dei pando, sed quæ ab ipso Deo nec didici, nec accepi. Quid ergo? Ex puto otiosarum speculationum mearum hausi. Itaque vos mihi dicenti assensum præbete. Annon bellè sibi fidem apud suos conciliaverit? Nullus hinc sanè color est. Vt cunque enim inanis aliquis blatero multa de Deo, & rebus sanctis, apud homines effutiat, vix tamen unquam tam insensatus fuerit, ut non Deum, & arcanas ejus revelationes crepet. Tam matula nunquam quisquam erit, ut ista quæ ad fert, in verbo Dei non extare dixerit. Ineptè igitur hæc Rationis confessio quasi ultronea depromitur. Nisi forte illa Dea aliqua sine capite & cerebro fuerit, id est, merum Monstrum. Sed eam nec ego flocci fecerim; in rimandis nempe & expendendis scitis salutaribus. Ut jam intactum illud dimittam, quod Magistrum se dicit omnium, Veram sapientiam profitentium. Quod ipsum quoque severiore forte censurâ dignum esset.

Itaque ecce tibi aliam, & melioris quidem notæ Rationem, quid sc. quam in indaganda & consequenda cognitione rerum divina- Ratiōrum plurimum juvare & valere (modo non sepeliantur) si nega- Stultiorē. veris, ipsa te Moriā μωροτέραν non obscurè testaberis. Ea est, ut Aug. I. de Spir. & rectè quidam dixit: *Affectus mentis, que bonum malumq[ue] discernit,* Anim.

Senec. Ep. ad Lucil. 66. *virtutes eligit, Deum diligit.* Vel, ut quidam alius: *Ratio semper te eam mihi hic intelliges cum hac adiectiuncula, Recta, aut Sana: nibil aliud est, quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa.* (Vnde & superiorem animæ partem, id est, Rationem, voce spiritus intelligit Apostolus Galat. 5. v. 17. Siquidem interpreti tuæ partis non ignobilis credimus. Sed Spiritus revera quiddam ratione nobilior hic significat.) Et iterum: *Ratio arbitra est bonorum & malorum: aliena & externa pro vilibus habet. Omne illi bonum in animo est.* Alibi nihilo pejus: *Ratio omnis honesti comes.* Alius hoc ita enuntiavit: *Idem esse Deum sequi, & parere Rationi.* Quomodo etiam alij sapientum istam describant, non erit operosum scire, si consulere voles. Iam hæc quid piè, quid utiliter, quid honestè suadeat, ad quid vocet, audi ex Veteris Sapientiae alumno: *Si RATIONEM audire volueris, dicet tibi: Relinque ista jamdum ad quæ discurritur. Relinque dirittas, aut periculum possidentium, aut onus. Relinque corporis atque animi voluptates: molliunt & enervant. Relinque ambitum: tumida res est, varia, ventosa: nullum habet terminum. Tam sollicita est, ne quem ante se videat, quam ne se post alium. Laborat invidia, & quidem duplice. Vides autem, quam miser sit is cui invidetur, si & invidet. Intueris illas potentium domos, illa tumultuosa, salutantium rixâ, limina? multum habent contumeliarum, ut intres: plus, cum intraveris. Præteri istos gradus diritum, & magno aggesta suspensa vestibula. Non in prærupto tanum istic stabis, sed in lubrico. Huc potius te ad Sapientiam dirige, &c.* Id est, invitat hæc Magistra ad *av. gen. et ad temperantiam, ad vita quietæ & strepitus expertis studiū, & latèrē jubet, ac rebus studijsque, quæ animum meliorem reddant, operam impendere. Perficere hominem cupit, & felicitatem illi parere.* Quid verò aliud intendit ipse omnium Servator Deus? *Qui Rationem indidit homini, quæ affectus cæcos in ordinem cogat, & lucernæ polleat officio ad riā monstrandam.* Quod si illam lucem sequatur, nec scintillas ejus pervertat, facile affectus ad Dei obsequia gubernabit.

Zanch de Op. Cr. p. 876. Col. 2. *Hæc Urbanius Ratione contraria est. Sen. l. 4. c. 10. de Benef. Plur. de Audit.* Et iterum: *Ratio arbitra est bonorum & malorum: aliena & externa pro vilibus habet. Omne illi bonum in animo est.* Alibi nihilo pejus: *Ratio omnis honesti comes.* Alius hoc ita enuntiavit: *Idem esse Deum sequi, & parere Rationi.* Quomodo etiam alij sapientum istam describant, non erit operosum scire, si consulere voles. Iam hæc quid piè, quid utiliter, quid honestè suadeat, ad quid vocet, audi ex Veteris Sapientiae alumno: *Si RATIONEM audire volueris, dicet tibi: Relinque ista jamdum ad quæ discurritur. Relinque dirittas, aut periculum possidentium, aut onus. Relinque corporis atque animi voluptates: molliunt & enervant. Relinque ambitum: tumida res est, varia, ventosa: nullum habet terminum. Tam sollicita est, ne quem ante se videat, quam ne se post alium. Laborat invidia, & quidem duplice. Vides autem, quam miser sit is cui invidetur, si & invidet. Intueris illas potentium domos, illa tumultuosa, salutantium rixâ, limina? multum habent contumeliarum, ut intres: plus, cum intraveris. Præteri istos gradus diritum, & magno aggesta suspensa vestibula. Non in prærupto tanum istic stabis, sed in lubrico. Huc potius te ad Sapientiam dirige, &c.* Id est, invitat hæc Magistra ad *av. gen. et ad temperantiam, ad vita quietæ & strepitus expertis studiū, & latèrē jubet, ac rebus studijsque, quæ animum meliorem reddant, operam impendere. Perficere hominem cupit, & felicitatem illi parere.* Quid verò aliud intendit ipse omnium Servator Deus? *Qui Rationem indidit homini, quæ affectus cæcos in ordinem cogat, & lucernæ polleat officio ad riā monstrandam.* Quod si illam lucem sequatur, nec scintillas ejus pervertat, facile affectus ad Dei obsequia gubernabit.

Id. sen. ad Luc. Ep. 84. *Vid. etiam Plut. de Pædagog. loc. insign. qui itidem docet, quid fauna Ratio insufflet.* *Relinque ambitum: tumida res est, varia, ventosa: nullum habet terminum. Tam sollicita est, ne quem ante se videat, quam ne se post alium. Laborat invidia, & quidem duplice. Vides autem, quam miser sit is cui invidetur, si & invidet. Intueris illas potentium domos, illa tumultuosa, salutantium rixâ, limina? multum habent contumeliarum, ut intres: plus, cum intraveris. Præteri istos gradus diritum, & magno aggesta suspensa vestibula. Non in prærupto tanum istic stabis, sed in lubrico. Huc potius te ad Sapientiam dirige, &c.* Id est, invitat hæc Magistra ad *av. gen. et ad temperantiam, ad vita quietæ & strepitus expertis studiū, & latèrē jubet, ac rebus studijsque, quæ animum meliorem reddant, operam impendere. Perficere hominem cupit, & felicitatem illi parere.* Quid verò aliud intendit ipse omnium Servator Deus? *Qui Rationem indidit homini, quæ affectus cæcos in ordinem cogat, & lucernæ polleat officio ad riā monstrandam.* Quod si illam lucem sequatur, nec scintillas ejus pervertat, facile affectus ad Dei obsequia gubernabit.

1. Tim. 2. v. 4. *Calv. in Matt. 6. v. 22.* *Quibus in- fūsi* *animū sua forte con- centum.* *Qui Rationem inesse putem, quæris? Omni omnino homini, inquam: adulto quidem & sana mente prædi- to: & necdum ob antegressa scelera in reprobum sensum dato. Quamvis enim longè sit mortalium post primum lapsum con- ditio infelior, atque fuisset si protoplastus in hanc miseriā eos non involvisset; tamen cum Ratio, quæ discernit homo inter ve-*

rum & falsum, interque bonum & malum, quā intelligit, & judicat, Vid. etiam
Epiphani.
Hærel. 70.
 naturale bonum sit, non potuit in totum deleri. Itaque nec deleta fuit, sed
 partim debilitata, partim vitiata fuit, ut loquitur alibi non segnis (in
 multis) tuus propugnator & tibicen. Iam verò quodd in hoc vi-
 vidior, evidentiores producit aut produxit fructus, in illo lan-
 guidior, aut penè sepulta vitijs obruta fuit & obruitur, nec lu-
 crum facit aut fecit: causa se manifestè prodit in diversa tum
 hominum educatione, tum libera cujusque occupatione. Cujus
 rei typum videre licet in servis illis, quibus concredita ad nego-
 tiandum talenta. Tu, si visum fuerit, ponderabis. Hoc tempore
 alia huc spectantia non adnecto. Veruntamen se longè robustio-
 rem & emendatiorem Ratio Recta exserit in ijs, quos Non in Matt. 25.
 Christo Creationis Gratia respexit. Horum tenebras Domini In Regeni-
tis emenda-
tior.
 Spiritus dispellit, lemas ab oculis mentis tollit, &c, quæ parum
 recta & sana ad ritè percipienda regni caelestis arcana, curat
 foveatque, & auget circa ista dona sua varie, ut adminiculis salu-
 taribus fulti (puta, lectione & auditione verbi Euangelici, exer-
 citio precū, &c.) expeditè porro procedant ad lucida cæli tem-
 pla. Inter hos tales, si quis Christiano Frat̄ri, sententiam suam sa-
 tis fortiter & prudenter defendant Scripturæ dictis, invidiam
 aut acerbam molestiam creare fatererit, exprobrando ei Rationis pecuinam hebetudinem, næ ille præ omnibus pecudibus
 infrunitus est & delirus. Quid enim? Nunquid unus omnium
 Spiritus est! unus Dominus! unus Mediator? Nunquid omnes
 per idem Euangelium vocantur? Sed ista non puto hujus loci,
 diducerem alias latius. Progredior ergo, & quod de viribus, re-
 stitudine, & quasi divinitate sanæ Rationis cœpi, amplius urgeo.
 Si Discipulus ille tuus b̄utam Rationē objicere (& ob id haud
 magni aestimare) ausus est illis, qui fortè (quid fortè? inquam:
 imò qui indubie) pio sensui sanctarum Scripturarum pertina-
 cius adhærent, juxta regulam sanctæ moderationis, & ad vitan-
 dam periculosam illam. Altè volan-
tē tenetur.
 θύματος φρόνσιν, quam quispiam ex tuo gre-
 ge; licet aliter fortè nonnulla illius dicta intelligent, quam acu-
 mini ipsius visum est: quid non faciet ijs, quibus tam propinquā
 ac plena lux divini in Christo favoris non splenduit, atque ipsiſ? Ethnici il-
 luctatores sanam Ra-
 tionem se-
 cuti exce-
 luerūt eam.
 Ethnici il-
 luctatores
 sanam Ra-
 tionem se-
 cuti exce-
 luerūt eam.
 E 2 ex Clien-

ex Clientis tui bruta Ratione senserint, dixerint, vixerint, nec hoc egerint, ut in ipsa terra viscera descenderent, aurum, argentum, & reliqua metalla erutum, quæ deinde in varios abusus converterent: neque è profundo maris uniones educerent: nec alia curiosè specularentur, quæ ille otiosè istic ex suæ Tapeinophrosynes sensu garrit; ex uno tibi innumeros cognoscere licebit. Tu attende, & quæ de Deo, Natura, & Proprietatibus ejus: de Homine, & ejus præcipio fine, & huic cognatis Accidentibus; de virtutibus & vitijs, piè & salubriter statuerint, memoriae deinceps inscribe. Saltem supercilium aliquandiu pone, quod magis ista sese in mentem tuam penetrant. Sic ergo Sapiens ille:

- 1. Sen. Ep. 1. Arbitrator Deus universi, cuncta disponit.
- 16. 2. Id. Ep. 31. Nemo novit Deum: multi de illo malè existimant.
- 3. l.7. quest. 3. Neque enim Deus omnia humanis oculis nota fecit.
N. c. 30.
- 4. Pref. ad Libb. Nat. 4. Quid est Deus? Quod rides totum, & quod non rides totum. Sic denuntiatur magnitudo sua illi redditur, quæ nil majus excogitari potest.
- Quæst.
- 5. l.4. Ben. 5. Tot appellationes Dei, quot munera.
- c. 7. 6. Natura non sine Deo est, nec Deus sine natura. Et: Sic hunc naturam roca, fatum, fortunamq; omnia ejusdem Dei nomina sunt, variè utentis sua potestate.
- 6. l.4. 7. Totum hoc quo continemur, & unum est, & Deus.
- c. 8. 8. l.4. Ben. 8. Deus est prima omnium causa, ex qua cetera pendent.
- c. 7. 9. Ep. 83. 9. Deo nihil clausum est.
- 10. l.2. Nat. 10. Sapientis viri sententiam negatis posse mutari. Quantò magis Dei?
Qu. c. 36. cùm sapiens quid sit optimum in præsentia sciat, illius divinitati omne præsens sit.
- 11. Ep. 30. 11. Deus ille maximus potentissimusq; rebit omnia.
- 22. l.4. Ben. 12. Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi: nihil ab ipso vacat. Opus suum ipse Deus implet.
- c. 8.
- 13. l.6. Ben. 13. Pars operis divini sumus & nos.
- c. 23.
- 14. Sena per diem, sena per noctem signa produxit, nullam non partem sui explicuit: ut per hac quæ obtulerat ejus oculis, cupiditatem faceret etiam ceterorum, nec enim omnia, nec tanta visimur, quanta sunt: sed acies nostra aperit sibi investigando viam, & fundamenta veri jacit, usq; inquisitio transeat ex apertis in obscura, & aliquid ipso mundo inventiat antiquius: unde ista sidera exierint: quis fuerit universi status, antequam singula in partes discederent: quæ ratio & confusa didixerit: quis loca rebus assignaverit: suapte natura, gravia descenderint, leria
- l.32.

Ieris evolant : an præter nisum pondusq; corporum altior aliqua vis legem singulis dixerit : an illud verum sit, quo maximè probatur hominem divini Spiritus esse partem , ac veluti scintillas quasdam sacrorum in terras desluisse, atque alieno loco hæcisse. Cogitatio nostra celi munimenta perrumpit, nec contenta est id quod ostenditur scire. Illud, inquit , scrutor quod ultra mundum jacet.

15. Nulla ex nobis Deo utilitas speranda. 15. 1.4. Ben.
C.3.
16. Plurima beneficia ac maxima in nos Deus confert sine spe recipendi. 16. 4. de Ben. c. 9.
17. Nulla Deo dandi beneficij causa est. [Puta, que respiciat dignitatem nostram, aut commodum à nobis retribuendum.] 17. 4. de Ben. c. 3.
18. Quicquid nobis bono futurum erat, Deus & parens noster in proximo posuit. 18. Ep. 110.
19. More optimorum parentum , qui maledictis suorum Infantium arribant, non cessat Deus beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus : sed æquali tenore bona sua per gentes populoq; distribuit, unam potentiam fortius prodeſſe. Spargit oportunitis imbribus terras: maria flatu movet, siderum cursu notat tempora, hyemes æstatesq; interventu lenioris spiritus mollit, errorem labentium animarum placidus ac propitius fert. Imitemur illum. 19. 1.7. de Benef. c. 3.
20. Si Deum imiteris, da & ingratis beneficia. Nam & sceleratis sol ori- 20. 4. de Ben. c. 25.
- tur, & piratis patent maria.
21. Bonum virum Deus in dilicijs non habet : experitur, indurat, sibi illum præparat. 21. de Prov. c. 1.
22. Hos Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet : eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcit, molles venturis malis servat. Erratis enim si quem judicatis exceptum. Veniet ad illum diu felicem, sua portio. Quare Deus optimum quemq; aut mala valetudine aut luctu afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? &c. Idem dicant, quicunque jubentur pati, timidis ignarissimis febilia: Digni nisi sumus Deo in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati, &c.
23. Malè valeo pars fati est. Familia decubuit? fœnus offendit? domus crepituit? damna, vulnera, labores, metus incurrerunt? Solet fieri. Hoc parum est: debuit fieri. decernuntur ista, non accident. Non pareo Deo (tristis puta, aut invitus, & reluētans) sed assentior: ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil unquam mihi incident, quod tristis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum invitus conferam. Omnia autem ad que gemimus, que exparescimus, tributa vita sunt. 23. Ep. 96.

24. Ep. 73. 24. Deus ad homines venit: immo quod proprius est, in homines venit, nulla sine Deo mens bona est.
25. Ep. 41. 25. Non est exorandus aditus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Prope est a te Deus, tecum est, intus est. Sacer intra nos Spiritus sedet, malorum honorumq; nostrorum observator & custos: hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est.
26. De Vit. 26. Vetus praeceptum est, Deum sequere.
b. 15.
27. Ep. 107. 27. Optimum est pati, quod emendare non possis: & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur.
28. Ep. 75. 28. Placeat homini, quicquid Deo placuit.
29. Ep. 124. 29. Vis turelictis in quibus vinci te necesse est, dum in aliena niteris, ad bonum reverti tuum! Quod hoc est? Animus scil. emendatus ac purus, emulator Dei, super humana se extollens, nihil extra se sui ponens. Quod ergo in te bonum est! Recta Ratio & perfecta.
30. Ep. 28. 30. Initium salutis est, notitia peccati.
31. Ep. 83. 31. Sic vivendum est, tanquam in conspectu Dei vivamus. sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit, & potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil Deo clusum est. Interessit animis nostris, & cognitionibus medijs intervenit.
32. Ep. 10. 32. Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.
33. Ep. 115. 33. Colitur Deus non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia & recta voluntate.
34. De V. 34. In regno nati sumus: Deo parere libertas est.
B. c. 15.
35. De Ben. lib. 6. c. 23 35. Scias non esse hominem tumultuarium opus, & incogitatum: Inter maxima rerum suarum natura nihil habet quo magis glorietur, aut certe cui glorietur.
36. Conf. ad Marc. c. 11. 36. Quid est homo? quodlibet vas quassum, & quodlibet fragile. Iactatu, non tempestate, ut dissiparis, opus est. Vbicunque arietaveris, solveris. Quid est homo? Imbecillum corpus & fragile, nudum & suapte natura inerme, aliena opis indigens, ad omnem fortuna contumeliam projectum. &c.
37. L de Vit. b. c. 29. 37. Hoc ab homine exigitur, ut profite hominibus, si fieri potest, multis: si minus, paucis: si minus, proximis: si minus, sibi.
38. Ib. c. 28. 38. Usque ad ultimum vite finem in actu erimus, non desinemus communione bono

- bono operam dare, adjurare singulos, opem ferre etiam inimicis.
39. Si volumus æqui omnium rerum judices esse, hoc primum nobis sua- 39. I. 7. de
deamus, Neminem nostrum esse sine culpa. Hinc enim maxima indigna- Ira. c. 27.
tio oritur: nihil peccavi, nihil feci, imò nihil fateris.
40. Hæc quæ vides ossa circumvoluta nervis, & obductam cutem, rultum- 40. Consol.
que & ministras manus, & cætera quibus involuti sumus, vincula ani- ad Marc.
morum tenebre que sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, ar- c. 24.
cetur à veris & suis, in falsa conjectus. Omne illi cum hac carne gravi
certamen est, ne abstrahatur & sidat, nititur illò, unde dimissus est: ibi
illùm æterna requies manet, pro confusis crassisque pura & liquida vi-
sentem.
41. Punctum est quod virimus, & adhuc puncto minus. 41. Ep. 49.
42. Vivere, militare est. 42. Ep. 96.
43. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiore vivere velis. 43. Ep. 47.
44. Peregrinatio est vita. 44. De
Rem. for.
45. Mors naturæ lex est, mors tributum. 45. L. 6. N.
Q. 32.
46. Hominis tota vita nihil aliud est, quam ad mortem iter. Omnes huic
rei tollimur. 46 Conf.
ad Pol.
47. Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur & spectat in 47. Ep. 92.
cælum: ita animus, cui, in quantum rult, licet porrigi, in hoc à natura
rerum formatus est, ut paria Dijs velit, & sic utatur suis viribus, ac se
in spatiū suum extendat. Nam si aliena vi ad summā niteretur, magnus
erat labor, ire in cælum. Redit, cùm hoc iter, ad quod natus est, vadit
audacter, & contemptor omnium, nec ad pecuniam respicit, aurum ar-
gentumque illis in quibus jacuere tenebris dignissima, non hoc estimat " NB.
splendore, quo imperitorum verberant oculos, & avertunt à cæno, ex "
quo illa se crevit cupiditas nostra & effudit. Scit, inquam alibi postas
esse dixitias, quam quò congeruntur: animum impleri debere, non ar-
cam. &c.
48. Sapiens affectatorque sapientie adhæret quidem in corpore suo, sed 48. Ep. 63.
optima sui parte abest, & cogitationes suas ad sublimia intendit, &
velut sacramento rogatus, hoc quod vivit stipendum putat, & ita for-
matus est, ut illi nee amor vite nec odium sit, patiturque mortalia,
quamvis sciat ampliora superesse. &c. Et iterum: Non queram quis
sit artifex hujus mundi? qua ratione tanta magnitudo in legem & or-
dinem venerit? quis sparsa collegerit, confusa distinxerit, nimia defor-
mitate latentibus faciem diviserit? unde lux tanta fundatur! ignis sit,
an aliquid igne lucidius! Ego ista non queram! ego nesciam unde def-
cende.

N.B. cenderim? semel huc mibi videnda sint, an saepe? Nesciam quod hinc iturus sim? quae sedes expectet animam solutam legibus servitutis humana? Vetus me celo interese, id est, jubes me vivere capite demiso? Major sum, & ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis: quod equidem non aliter adspicio, quam vinculum libertati meo circundatum.

49. Ep. 79. Tum animus noster habebit, quod gratuletur sibi, cum emissus his tenebris, in quibus volutatur, non temui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit, & redditus celo suo fuerit, cum ceperit locum quem occuparit sorte nascendi. Sursum vocant illum initia sua. Erit autem illic antequam hac custodia exsolvatur, cum virtus dissecerit, purusque ac levis in cogitationes dirinas emicuerit.

50. Ep. 102. Cum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hoc ubi inveni relinquam: ipse me Diis reddam: nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque detineor. Per has mortalis ævi moras illi meliori vite longiorique precluditur. Et: Alia origo nos expectat, aliis rerum status. Nondum calum nisi ex intervallo pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice. Non est animo suprema, sed corpori. Quicquid circa te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas depone. Transeundū est. Excudit redeuntem natura, sicut intrantem. Nō licet plus efferre, quam intuleris. Imò etiam ex eo, quod in vitam attulisti, pars magna ponenda est. Detrahetur hæc tibi circumiecta, novissimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro & suffusus sanguis, discurrensque per totum. Dies iste, quem tanquam extrellum reformidas, eterni natalis est. Depone onus. Et iterum: Tunc in tenebris vixisse te dices, cum totam lucem totus adspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscurè intueris, & tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur divina lux, cum illam suo loco videris? &c.

Epicetum intell, cuius insignes Dis fertationes descriptæ sunt ab Arrianio. Tap. A. 5. Aureolas istas sententias Pro peteia hudit & fastidit.

In his desino. Sunt autem hujus genij centena alia, per totum istum Sapientiae alumnum sparsa, quæ non inutiliter expendantur. Sunt & alibi alia, potissimum apud illum magnum olim patientia magistrum, quem meritò hujus ævi homines mirentur: ne alios tangam. Iam verò ex te scire velim, quomodo hæc tibi scita placeant! an sint à cerebro fatuo aut bruto! an speciosè magis quam verè disputata?

PROPET. Hei mihi, quam multi fumi hodie veneunt? Tu me hæc supicere aut probare putas? Hectæ non facio. Mera enim deliria sunt,

Sunt, quæcunq; isti homines, quantumvis in specie proba videantur, alieni à Dei Spiritu, & verbi cœlestis gratia cassi, garrisserunt. Itaque nec grata sunt Deo ipsorum studia, nec magistris ipsis ad salutem quicquam profuere profanæ istius sapientiæ præcepta. Proinde nec ipsa vita, aut opera, cùm non sint ex fide (id est, non crediderint ista Deo placere) facta etiam sint simulatè, & ex mera hypocrisi: neque etiam ad legitimum finem, id est, Dei gloriam relata fuere. Quorsum ergo attinet istas nugas corrumpæ Rationis hominum mihi magno cursu convoluere, quæ in hanc lucem non veniunt? Gustum aliquem fortè haberent, si liquore sublimium mearum revelationum condita essent.

Vid. Vit. Carechif. &
Par. edit. in
Quæst. 91.
Q. I. p. iii.
569.

ORTHOSOPH. O te verè sumos! cerebri præstigiatricem! Quam bellè produnt ista ἡπὶ θεόντος, quam sis temerarij judicij, sententiaeque ut præcipitata, sic & falsæ. Stultam verò ignorantiam tuam vel mediocriter sanus tibi jure objiciat. Tibi ista delira aut athea sunt? Nemo nisi cui Numen propitium sit, & *λόγος ἀληθῶς ὕνις, hæc talia differuerit. Tam iniquus vix unquam Clientis tui Aristarchus fuit, quin speciales quædam Dei gratias in profanis hominibus agnosceret conspicuas fuisse. Sed & Veritatis admirabilis lucem in ijs affulsiſſe fatetur: saltē in rebus natura- libus, & nonnullis alijs artibus. Atque illa bona, quæ accuratè in- venerunt & tradiderunt humano generi, ipsius Dei Spiritus do- na esse, † nec nisi à Deo provènire. Mentem verò, seu Rationem, quam tuus alumnus tantoperè exagitat, stupori beluino non sic æquiparat, ut ne quidem cogitare quicquam velit, aut valeat, de cœlestibus. Nostri ejus hæc esse: *Quin etiam non ita stupida est (mens puta, seu Ratio) quin exiguum quiddam & de superioribus delibet, ut eunque negligentius illis percontandis vacet.* Parum itaque Discipulus tuus in Sane Rationis priscos Clientes aequus est, dum tantæ Vc- cordiæ eos damnat, ac si terræ Visceribus immorantes, aut im- morientes, aurum, argentum, uniones, &c. tantum inhient; su- periorum prorsus & ignari, & incurij. Persuade tibi, fuisse inter illos nō paucos, qui longè magis à splendidiore illa terra abhor- ruerint, quam fortè is ipse, multiq; illorum, qui hodie Religio- nis Christianæ pallio se foris muniunt. Falsitatem ergo dicti de- monstrant omnium ætatum viri sapientes, quibus curæ fuit veræ illius Rationis lumen sequi, & Deum vel palpando querere. Quod & plus satis confirmant probissima ista Disciplinæ Ethni-

Verba ala-
ta.

Ethnico-
rum lumen
Orthosop-
hia alle-
rit, & cal-
culo huma-
no doct.
firmat.

*Ratio verè
fana.
Init. I. 2. c. 3
f. 4.

Ib. I. 2. c. 2.
f. 15. 16. tot.

† Quod &
ipse Seneca
eodem mo-
do agnoscit
& predi-
cat I. 4. c. 6.
de Benefic.
I. 2. c. 2.

f. 13.

cæ præcepta, in quibus illi juventutem suam instituere. Philosophiæ senioris scita dico, quæ Dei beneficio illis eo loco fuere, quo Hebreis Lex, Christianis in N. Test. Euangeliū, teste Clemente Alexandrino. Scomma verò de cæli & astrorum contemplatione, quam Rationi attribuit, Magister ejus repellat. At quæ vanè de Deo, eiusque visione &c. illam speculari extra verbum ait, videat ille, annon longè portentosiora nonnunquam conglomeren, quibus ille Magisterij palmam, & quasi cœlestem quandam Dictaturam adscribit. Ego te ad Themata illa Prædestinaria suprà citata remitto. Quis Veterum Philosophorum (quos Rationales, si ita vis, dicamus) non aut atheus, aut contemptor Dei Epicureus audisset, si in hunc modum de illo disputasset, uti tu, tuorumque aliqui interdum, securè nimis, de illo philosophantur? Scis quid Fato Stoico factū? Quid deinde Manichæis, qui illud resorperunt, & in Ecclesiam evomere tentarunt? Credo equidem mitiora fuisse Socratis dogmata de Deo suo, ob quæ cicutam sorbere coactus est, quam ista.

Sententias
itas mora-
les Seneca
parum dif-
ferre à Pra-
ceptis in
S.S.datis.

Sed enim ita, quæ sive homini relicta Recta Ratio, sive propior & benignior aliquis divini Spiritus ventulus illi, quem modò appellavi, sapienti inspiravit, annon totidem divinorum eloquiorum sententiæ sunt, quas sacra volumina tradunt? Parum certè abeunt: & possint aliquatenus conferri. Agnosco tamen nævos & hallucinationes alibi: sed ut dem furioſa ista & sacrilega, aut saltē absurdā & fordida omnia esse, nec pietatem aut Veritatis cœlestis gratiam ullam omnino continere, nunquam adducar. Neque ideo sperni debent, quia alicubi harent, aut errant: neque divinæ dotes esse desinunt, licet ad istam claritatem & perfectionem non accedant, quæ in Prophetarum aut Apostolorū scriptis fulget. Emendata apud sanos valeant, prætermittantur incerta, aut falsa. Vtriusque generis multa sunt illic. Quod & ipsum in ijs deprehendo, qui tuo ductu procedunt, & sacrarum literarum peritissimos se professi, turpiter tamen in multis hallucinantur. Hoc genus hominum frequens & varius hodie paſſum conspicio: & tamen multi talium cathedram in Ecclesijs aut Scholis tenent.

Injurijs
Tapeino-
phros, bru-
tæ Rationis

Iam verò atrocior est injuria (quæ me potissimum mordet:) quam non in rebus spiritualibus cæcis olim Ethnicis, sed ijsdem facit, quos diffiteri non audet Cliens tuus eodē cum illo Christi fædere

accusat fratre
tres Christianos,
fideles,
Evangeli-
cos, &c.

fœdere comprehendendi : nisi fortè, cùm hos Rationales appellat, utà cum illis communione supercœlestium mysteriorum velit arcere, (sed hoc ipso erit iniquior) & quicunque cum eo nubes supervolare, atque inde de sublimibus conceptibus suis philosophari nolunt, ad pecora relegare præsumat. Quod quidem ré ipsa me judice facit. Dum enim contra istos disputationat, ita agit & loquitur, ac si cum Veteris Academiæ, aut Lycæ, Stoæve Discipulis, non cùm Christianis & fratribus, illi res esset. Qui sic inquis. Adimit illis spiritualis scientiæ verum gustum, judicio circa cœlestia sano privat, & ubi lumine divino cassos probè flagellavit, in se suæque catervæ pugiles omnē Rerū abstrusarū notitiam derivat, ac, velut nuper concilio Deorū cum mandatis emissis, fidè oraculis suis perhiberi postulat. An talis sanè modestus sit? Annon & Spiritum Sanctū ab illis longè arceret? Utique. Iste enim homines, quibus hoc unicū studiū est, ut in terræ viscera descendant, aurum, argentū, & reliqua metalla erutum: quique è mari uniones educunt: qui cœli peripheriā vana speculatione metiuntur, qui alia de Dœo, ejusq; visione, de Angelis, de beatorum animabus, norunt & credunt, quām in Verbo ejus extant, & suam solius interpretationē sequuntur: isti, inquam, non aguntur Dei Spiritu, sed suâ phantasiam, ideoque revera carnales adhuc sunt; nec ipso Doctore utuntur, quem Christus pollicitus est ductu- Ioh. 16.
rum suos in omnem Veritatem. Indubie contrà sibi illum arro-
gat, ut & ijs, quibus jucundum est otiosā ingenij subtilitate cir-
cumvolitare. Hujusmodi verò sunt illi, quibus improba ejus dog-
mata (maximè illa duo, de quibus pòst agemus) proba & sancta putantur. Porro quibus Christi Spiritum non concedit, an eos regenitos fateatur? Nil minus. Itaque cum nullum penè inter hosce revera Christianos, & illos re ethnicos, sive etiamnum carnales homines, discriminem relinquit, ac promiscuè in utrosque disputationis suæ stimulos dirigit, quid aliud agit, quām quòd utrosque, quasi æquè ridiculos ac miseros ludibrio habet, & fortunæ (quam tamen sibi falsò somniat) ipsorum insultat, & suam contrà imaginariam πλύνωσιν fastuose effert? Si in Dia- Multam
scientiam.
goram, Aristippum, Diogenem, Epimenidem, aut Porphyrium aliquem ista diceret, & stultitiam mentis, in spiritualibus cœ-
tientem, exprobareret, posset fortè ferri. At verò cùm eos juxta habeat, quibus novi fœderis & illuminationis novæ gratiam

factam, eandemque verè pijs omnibus spem in cœlis repositam non sustinet diffiteri, quid putandum? quid nisi è fellis scaturigne ista manare statuendū? Et tamen, si Deo placet, in hisce punctiunculis ingeniosè rhetoricari libuit, & convicia sua colore poëtico incrustare. Hinc ergo sana Ratio illi modò *Pandora* est, modò *mulier grallatoria*: modò ejusmodi *Lerna*, contra quam per omnem vitam non debito profectu depugnat ejus *Tapeinophrosyne*: aliquando *corruptrix* & *seductrix omnium suorum Discipolorum*, speciosè magis quam verè disputans: aliquando est *pugnacissima*, cedere nescia, (malè: cum sit θηρίον, lenis & tractabilis, & ultiro cedat vero) aliâs alijs dicterijs eam fodicat. Modestus scilicet & humilis hic sensus est. Ego verò pro Cliente mea, vel potius sorore, non speciosè, sed verè repono, longè saniorem esse, idque à *Gratia Dei* mei, & acutiorē in rebus divinis, quam aut fictitia iithæc *Tapeinophrosyne* agnoscere potuit, aut, si potuit, voluit. Imò contrà vel lippus πλυπούσιλον ornatum Poëticæ hujus Modestiaæ (quam producit Cliens tuus) facile viderit. Vbi enim *Pandora* unquam tot coloribus ac lenocinijs picta fuit, quam hæc diva undique exornata subinde in *Theatrum* suum prodit? nimirum consuta fimbrijs lacinijisque fucosarum Glosfarum, Interpretationum novarum, inanum Distinctionum, Divisionum, Subdivisionum, Exceptionum, Interpunctionum, Parenthesium, audacium Definitionum, & Decisionum, totque mirificarum subtilitatum, quas vel centum Chrysippi annis mille vix capiant aut retineant. Hujusmodi præsidij utique haec tenus munitum vidimus regnum tuum, & quod in legitimis conflictibus satellites tui vero evincere non potuere, id quæsitis verborum illusionibus in speciem præstisſe, saepè compertum mihi. Et jam eò usque processit artificium adhibendi istas Pandoricas delicias, ut etiam clarissima divinæ Scripturæ dicta violentarum torsionum non sint amplius immunia. Quid dicta? Tota Scriptura in ordinem cogitur diæ illius *Tapeinophrosynes* arbitrio, & jam non dominari supra, sed infra speculationes cerebri tui mussare cogitur. Frustra ergo & falsò rectæ Rationi opprobratus nèvos Cliens tuus, cùm ipsemet cum suis symmachis, fœdioribus te, suam Propeteian, maculatâ esse videre facile possit.

Et cur quæsto sic adversus Rectam Rationem tumultuatur? an quia, cum in percipiendis & dijudicandis spiritualibus cæcam esse

Epitheta
quibus R.
Rationem
ornat Pro-
pect.

Iac. 3. v. 17.

Variega-
tum.

Ornatus
Propeteias.

esse statuat ipse , ab illis omnino exclusam vult ? Sed quæsus & Recte Rationis usus non simpliciter alius à translatione rerum sacra-rum.
 falso hic prætextus est. Non enim simpliciter & per se à cognitione & captu cælestium aliena est Recta Ratio, (quod subinde liber repetere , ut altius infigas) ut quæ perinde se habet ad rerum istarum veritatem, sicut lux minor ad majorem, analogo scil. illi , non adversaria : præsertim ubi accidente verbi divini patefactione superat seipsum , & jam ad hoc ipsum subacta & præparata est à Domini Spiritu. Alioquin meros stipites & hermas , non homines , mysteria regni percipere dicendum foret, qui Euthusiastico quodam fulmine afflati priùs tenerent omnia, quām se ad audiendum, credendum, benè agendum, vocari intelligerent. Quod meæ simplicitati stolidum planè videtur. Deinde malitiosè fallit, dum apud eos Rationem (quæ ex ejus sensu nil nisi carnalis stultitia , aut insania est) collocat, apud quos ea talis non est: certè nō magis quam apud ipsum. Mei quidē haud ægrè assentientur, se Ratione duci, cùm sint homines: sed in talibus nō nisi verâ, integrâ, à cælesti luce emendatâ. Dicent etiam, si huic *Ἄλλων* ac frigida ista Tapeinophrosyne tua bellum Falso nominata. indicat, & aseclas ejus persequatur, bis stultam & brutam efficit.

Sed tamen scire velim , quamobrem sic à rebus divinis hanc omnino excludat ? Quis vel legem vel exemplum dederit ? Inveniam fortè inter Aristarchos ejus , qui pari supercilio idem statuant, & adversarios profligare se posse potent, quotiens cum naso Rationem illis objiciunt. Quod ferè solent , ubi Veritatis mole premuntur, nec alibi patent effugia. Sed an *Deus* , Prophetae , Christus ipse , & Apostoli ejus , in *universum* sic censuerint de Ratione ac Mente hominis , valde dubito. Hoc sanè appetit, quotiescumque vel docere , vel officij admonere populum suum Dominus voluit, ad Rationis , id est, Naturæ atque animi sui testimoniū, & censuram, ferè remittere. Quia Natura dictat, & res comprobant , bruta animalia Dominos & benefactores suos agnoscere, idcirco Dominus rationem officij erga sé petere ab ijsdem jubet : quasi ipsa Ratio ad Deum ducat , quam ipsi malitiâ & actuali improbitate ibant eversum. Alibi ad *σογγός Φυσικάς* ablegat, quibus ipsa Ratio imperat, & consulere tantum illas jubet , quid erga Deum potissimum facto opus sit. Satis partium suarum admonitos fore innuens, si in se descendentes, quid Ratio recta suadeat, expendant. Quo alio argumento Abimelecho

Propeteia
nec Lege,
nec exemplo, Recl.
Rationem à
reb. divinis
excludit.

Quam nec
Deus, nec
Christus,
nec Apo-
stoli despe-
xisse pro-
bantur.
Efa. I. v.3.
Affectiones
naturales,
Mal. I. v.6.

Gen. 20.

Gen. 18.

Matt. 6.

Matt. 15.

Luc. 10. 36.

Matt. 27.

Act. 4. 19.

Act. 17. 26.

Cai. Inst. L. I.
c. 5. f. 3.Act. 25 v.
27.

persuadet Deus , ut restituat Abraham Sarām , nisi ab hac ipsa Ratione petito , quæ quasi clarâ voce intonabat , non esse rapientem alienam conjugem ? Nonne Sodomæ , quia Legem Naturæ , & Rectæ Rationis sensum contempseré , deleti sunt ? Quām cœbro autem Christus in concionibus suis ad Naturæ lucem provocat ? Iubet alibi ratiocinando ab aviculis & flosculis colligere , quanta esset pro hominibus , & in primis pijs , Dei sollicitudo . A Ratione verò ductum esse argumentum contra Phariseorum hypocrisim quis non videt ? An ipsa enim non dictat , ab eo quod esculentum in hominem ingreditur , hujus animum non contaminari ? A rectæ Rationis judicio , interrogatus , Legisperitus , Quisnam proximus esset ? respondit , Eum qui nostra ope indigenis , à nobis juvari potest . Cæterum parabolicæ ejus dissertationes totidem commonefactio[n]es aut institutiones sunt , Rationis sanæ fundamento superstructæ : à quo procedens quasi manudicit ad divinæ cognitionis adyta : frustra h̄ic sanè futurus , si prorsus illa pecudi similis ad omnia indifferēter cœcutiret . Multa talia huc , si velim , congrerere queam . Annon autem & recta Ratio dictabat Pilato . Non esse quempiam interficiendum citra culpam ? Nec verò aliunde , quām à Rationis judicio confutantur Sacerdotes & Seniores populi , quando ab Apostolis judicare jubentur , utrū Deo magis quam hominibus obedire deceat . Illos certè spiritu regenerationis donatos fuisse , nemo sanus dicat . Et tamen non dubitat Petrus de integra sententia , si modò illam ducem sequi velint . Si planè brutos aut faxeos judicasset , quis credat illorum conscientiæ , Rationisq[ue] dictamini , si tantum rectè se instituerent , fuisse hunc acquieturū ? Sed & hoc evidenter comprobat , non habuisse sanctos hoc loco Rationem , quo Cliens tuus habet , quōd Ethnici cujusdam Poëta dictum , ut verū , pium & sanum , laudat Paulus : Ἀλλὰ γέροντες . Debuit , ex sensu tui Clientis , hunc ut Rationalem , id est , insipidum & falsum testem rejicere . Ratio enim , ex qua ille locutus est , nihil sani de Deo novit aut dicit . Sicuti etiam ex communisensu , & quasi dictante experientia , profani Poëta eum vocarunt hominum Patrem . Iam non alias Magister , quām hæc ipsa sancta Ratio , laudatum hunc morem docuit Romanos , ne quem perdidendum concederent , priusquam accusatus in conspectu haberet accusatores , & sese legitimè defendisset . Hoc autem annon

annon ipsum & Lex Dei suadet? Brutum erit ergo, quod ab ipso
 Deo præcipitur, aut probatur? Tale est & simile illud Nicodemii
 effatum: inquit sententia ipsa legis: de non judicando priusquam
 rem probè cognoveris. Paulus ut incredibile illud mysterium
 Resurrectionis explanet, non abhorret inter alia ea in medium
 proferre, quæ Ratio, seu Naturæ ipse ordo insinuat, ut hisce prin-
 cipijs mens adminiculata eò faciliùs transeat ad sublimiorum
 cognitionem. Idem alibi de habitu publicè crantum, aut pro-
 phetantium, ita differit, ut ad Naturæ magisterium provocare
 non dubitet. Postremò ipsa præcepta moralia, per sanctas iustas
 Epistolas sparsa, quid jubent aliud, quam cujus olim tacitè Ratio
 omnes alios voluit admonitos? Credes eidem Apostolo, omni
 exceptione & humanâ censurâ majori. Qui cum Ethnicos co-
 ram judicio Dei reos & inexcusabiles fore contendit, non alium
 de argumentum petit, quam quod immorigeri Naturæ dictami-
 ni, Dei jura proculcarint, nec eum secundum rectæ Rationis
 præscriptum ac legem (nam aliam sub V.T. non habebant) co-
 luerint. Sed interim, pro pleniore modo illuminationis, exactio-
 rem obedientiam sub Euangelio Dominus requirit. Cæterum
 homines in genere *Lucem* appellare non veretur alibi magni no-
 minis Sectatorum tuorum quidam, ob Rationis donum. Ut sen-
 tentiam ejus rumines, addo: *Homines propter RATIONEM in eis*
lucentem, multo raro magis propter CHRISTVM in eis habitantem, Lxx
 vocantur. Ergo ubi Cliens tuus tenebras Cimmerias, illic Magi-
 ster ejus lucem esse fatetur. Verum quid sibi vult tandem lar-
 vatus ille χαρακτηρ tuus! *Omnem rationem ab Omni inqui-*
sitione & perceptione rerum divinarum arcere! Qui audet?
 Nam non facere ad exemplum Tutelarium suorum Numinum
 (quorum fiducia militat) certum est. Quoties ipsorum monu-
 menta seu libros legit, toties repetitis vicibus occurrit, (non du-
 bito) hujus ipsius, quam hic tantopere nauseat, nomen. Atque
 adeo quidem, ut quando rem aliquam, aut sententiam, quam
 longissimè à vero abesse inveniunt, vix alià quam hac formulâ uti
 soleant: *abhorre ab omni Ratione.* Si ipsis ergo non raro falsum
 quippiam videtur, ed quod à Ratione alienum est, Ratio utique
 verum dictabit, & ob id in Bonis erit, nec tam incocto judicio
 multanda jure putabitur. Vis specimen, ubi hoc maximè so-
 leant? Ecce tibi. Vbi tui adversus Vbiquitarios, itemque Trans-
 sub-

Deut. 13. 14.
& 17. v. 4. 6.
& 19. v. 18.
Ioan. 7. v. 31.

1. Cor. 15.
v. 36. 37.

1. Cor. 11.
v. 14.

Rom. 2. v.
14. 15.

Rom. 1. v.
20. &c.

Zanch de
Op. Cr. 1. r.
c. 2. p. nu.
312.

Humilis.

Discipuli
Propeteæ
ipsum Rati-
onis judi-
ciū in non-
nullis que-
stionibus
Theolog. in
auxiliū
vocant.

substantiarioris, contra corporalem præsentiam Christi in omnibus mundi locis, & speciatim in pane S. cenæ disputatione, ubi subinde adhuc idem agunt, nonne princeps penè telum est, quo confidere eos solent, quod in Rationem rectam impingant: contendendo scil. unum numero corpus physicum in pluribus simul locis morari; & longè maximam quantitatem corpoream sub corpusculo, vix corpusculo, latèrè? Si verù & indubitatū est, quod Cliens tuus somnias, Rationem in talibus esse inutilem, aut cæcam & stolidam, cur ad eam appellant ejus Antistites? Quod si hic non planè repudianda est, nulla causa appetet, cur alibi sit exterminanda. Idem usūvenire nosti, cum *εἰδὼλων λατρείαν* subvertere ijdem conantur, & quidem cum fructu sèpe moliuntur. Rectè namq; in isto negotio à sana Ratione inferut, per ligneas aut lapideas statuas Deum venerari non oportere, multo minus istis stipitibus ullum honorē deberi: quod hunc indecentem & irreligiosum nimis cultum esse, ipsa etiam Ratio ethnicis dictaverit. Scio inter alios argumentorum nervos etiam hunc momenti aliquid habere.

*Conclusio
hujus par-
tis 1.*

Vt ergo tandem Caput hoc finiam, querere iterum lubet Propetea, cur Cliens tuus in austero hoc Prædestinationis absolutæ dogmate *omnem* (etiam sanam) Rationem duxerit Carbone notandam, nec dignam, quæ ad cognitionem rei propositæ admitteretur? In alijs verò, in quibus si non major, fâtem aequè magna, absurditas latet, ultrò fateatur eam posse vel arietem præstare, ad oppositas adversantium moles destruendas? Aut partatem hic agnoscat, aut imparitatem ostendat.

*De II.
Quæft. An
Deus autor
peccati di-
cendus?
tractatum.*

PROPET. Quia hic (ut pro Deliciole meo respondeam) majoris momenti res agitur, ad cuius sublimitatem, licet plurimum pollere alioquin sibi videatur Ratio tua, pertingere nunquam potest; videlicet, Cum Deus operetur *omnia in omnibus*, tam mala, quam bona; Cumque efficaciter & voluerit, & procurarit lapsum, seu peccatum *Adami*, nec tamen culpa ei ulla impingi queat: ad hæc, inquam, obstupescere cogitur illa, quippe ratione omnem profus excedentia, si non eidem quoque adversantia. Nec enim facile quieverit hic animus hominis, nisi in subsidium advocaverit *Fidem*, cui omnino subjugatam oportet Rationem, si quis ritè augustam Dei majestatem, & supereminenter potestatem in res creatas venerari velit. Ista ergo postquam solerter investi-

gavi acumine meo, & causas hujus mirabilis notitiae reddi nec posse, nec debere callidè animadverti, Discipulis meis sanctum stuporem incutio, nec ultra simplicem assensum dictis meis habendum quicquam exigo. Hæc est, quam toties prædico & inculco, ^a *Docta ignorantia*, ^b *sobriaq[ue] modestia*, in sublimibus hisce rebus unicè observanda.

^a Calv. inf.
l. 3. c. 21. l. 2.
^b Id. ad
Cal. Neb.
art. 3.

ORTHOSOPH. Scilicet à tuis proclivem credulitatem tibi postulas, id est, vis sectatores tuos verveces esse, & aures atque animos tantum tuis delirijs (delicijs inquam) pandere, nil accuratioris episcepsenos sollicitos. Quod si semel & ubique hoc scitum tuum obtinuerit, si non capit Ratio, capiat Fides: jam de certa Monstrosæ Transubstantionis, deq[ue] Missæ Papalis autoritate, ut alia innumera mittam, conclamatum est. Nam & istic valere volunt crassum fidei assensum: imò volunt longè majore specie & colore, quām tu hīc urges, cūm aliquod sibi videantur habere verborum sacrorum pallium, tu Paradoxorum tuorum ne quidem umbram habeas in Scriptura. At enim hīc Pythagorizas, & mutire sectarios tuos jubes, quando ex placitis ejus frequens hanc in eos sententiam amentas: *ω̄ει θεών μηδὲν θαυμασθείσει, μηδὲ τοτε θεῶν δογμάτων*. Inde vix homines amplius ducis aut doces, sed statuas, ac fungos, quibus tam boni sanguinis vix guttula inest, ut cruda ista, & aulâ Sicula vix mitiora effata ad censuram vocent, aut vocare conentur. Mihi ista deliria non tam facilè obtruseris, quorum nec volam nec vestigium in scriptis sanctis extare video. Ad quæ examinanda ut jam deinceps accedamus, siquidem non abnus, age tu ipsa, ne fortè inscia tibi præter mentem tuam quicquam tribuam, sententiæ tuæ sumمام expone; cui, si possum, mea opponam.

Proprietà
tantum re-
quirit fi-
dem, sine
notitia,

De Dīs &
rebus. Divi-
nis nihil ita
admiran-
dum dici-
tur, quod
non debas
credere.

PROPET. Abnuam ego? quæ omnium pugnacissima, invicta, (quamvis sœpe videar victa) cedere nescia. Addo etiam, nisi me aliij insequantur hostes, triumphi semper certa. Hæc mea ingenuitas causa est, ut libens denud ex animi sententia, quid de dictis capitibus statuam, tibi depromam. Modò dixi, Deum operari omnia in omnibus, pro beneplacito suo, tam mala, quām bona; quod è Schola mea diligenter propagarūt Antesignani quidam mei, manetque multis hodie firmiter illud egregium dictum impressum animis, ita ut lacrymas filici priùs extorseris, quām hoc illis thema. Ex isto igitur porro jam infero, Deum lapsus seu

Proprietà
sententiam
tuam expli-
cat.

peccati Adamitici veram, & quidem immediatam esse, adeoque prorsus efficacem causam : ita, ut Adam non potuerit non labi, & vitiosus fieri : idque ob eam causam, quia Deus ipsius Adami causa efficiens immediata est, Adamus autem peccati causa efficiens &c. Itaque cum causa causae sit & causa causati, h.e. peccati, sequitur & hujus Deum causam, esse. Cum enim omnia à Deo ut creatore, & supremo motore sint, quæ hic concurrunt, Homo, Voluntas ejus, diabolus, arbor, lex, mulier, &c. fieri nequit, quin hæc ad primam suam originem, & ejus inevitabilem dispositionem omnia referenda sint. Maximè si illud, quod Verum arbitror, attendatur, Deum in hoc actu, velut primam causam, operari priorem desisse : unde Adam porro rectè operari nequivit: Tum, defectum secundæ causæ à prima ortum ducere, licet is propriè tantum in causa secunda sit, non in prima. Cæterum utcunque absurdum hoc de Deo videatur cogitatu, verum tamen esse non desinit. Et licet defectus à Deo ortus sit, tamen in culpa Deus non hæret, quia nullo modo homini obligatus fuit, ut aliter cum ipso ageret. Liber erat Dominus, & jure suo, ut alibi, sic & hinc, sine reprehensione usus est. Tu quid ad hæc?

An sententia Proprietatis modestia fit?

Iren. I. 4.
c. 47.

ORTHOSOPH. Hæc scilicet ista tua Tapeinophrosyne erat? ista tua planicies? & contraria his portentis tibi salebre & præcipitia sunt? O fidem! Si sic in Deum furit Modestia tua, quid faciet tua immodesta Ratio? Si modestè hoc de Deo sentire est, si credas, Eum esse lapsus illius, adeoque omnium peccatorum causam, utique proterva & petulans impietas tibi erit, Deum malorum istorum autorem negare. Hæc cine in schola Humilitatis docentur? Eheu pudenda! Quò accuratiùs inspicio, & examino, scitas istas tuas sententiolas, aureis, (si Deo placet) tabulis dignas, planè exterior, Clientem tuum, dum metuit cum Marcione duo rerum activa principia statuere, miserè cum Valentianæ hæreos defensoribus errantem affirmare, & reipsa urgere, Deum ut bonas, ita malas quoque actiones, sive peccata hominum velle, ac procurare, seu facere ut homines peccent, idque absolutè & efficaciter decernere. Quam blasphemiam fortiter à cordatis meis Discipulis hucusque repulsam esse ipsa nosti, nec despera, porro animosè factum iri. Sed cum collectionem Clientis tui trutino, ex eorum numero esse comperio, qui, quoties peccaverunt, dicunt, Deus hoc voluit; aut, Fatum hoc fecit: aut, stellæ sic ferunt.

Ad hæc
omnia infra
distinctè
responde-
tur.

eerunt. Quos tamen rejectos jam olim noſti, iſtis Doctoris tibi magni verbis: *Per circuitum volunt pervenire ad Deum accusandum, qui nolunt de compendio renire ad Deum placandum: & dicunt: Fatum mihi fecit. Quid eſt Fatum? Stelle me fecerūt; (puta peccantem) Quid sunt ſtelle? Certè iſtæ quas in caelo conſpicimus. Et quis eas fecit? Deus. Quis eas ordinavit? Deus. Ergo vides, quod voluisti dicere. Deus fecit ut peccarem. Ita ille iuſtus, tu iuſtus, quia niſi ille feciſſet, tu non peccaves. Tolle iſtas excuſationes in peccatis. Sic ille. Quid ſi ipſemēt tuus aſſeſta non uititur tali inductione, tamen alios hiſce armis inſtruit ad reſpoſandū Deo, dum ut res creatas, ita & creaturearum vitiositatēs, ſeu defectus morales, ad Deum autorem prima-rio refert.*

PROPOSITUM. Clientem meum non eſt quodd admordeas; quæcumque enim hīc tradit, ex intimæ disciplinæ & theorias meæ fun- damentis eſſe ſciās. Et quia ſe merito consenſu Magiſtrorum fuorum tuetur, & viriliter uestigia priorum legit, ecce tibi har- moniam ſententiarum, quas tu facilius rodere, quām deſtruere queas. ^a Deus abſconditus in maieſtate neque deplorat neque tollit mor- tem, ſed operatur vitam, mortem & OMNIA. ^b OMNIA quæ facimus, Om- nia quæ ſiunt, eti⁹ nobis viidentur mutabiliter & contingenter fieri, revera- tamen ſiunt neceſſariō & immutabiliter, ſi Dei voluntatem ſpectes. Volun- tas enim Dei efficax eſt, quæ impediſi non poſteſt &c. ^c Deus operatur omnia in omnibus: rult ergo, & facit, ut in deſiderijs ſuis viuant impij. ^d Iam antē oſtendi, Deum rocarι eorum omnium autorem, quæ iſti Cenſo- res volunt otioſo tantum ejus permisu contingere. ^e Deus non tantum permittendo, ſed agendo, in nobis mala quoquo modo operatur. ^f Deus mala agere dicitur effectivē, non permiffivē tantum. Non enim patitur ho- mines peccare, ut nihil providentia ſua, ſeu gubernatione circa peccata operetur. Et ſuam impedit (ſcil. ad peccata) potentiam, non patien- tiā. ^g Tantum admititur diuinæ potentiæ, quantum in malis Satana & impij attribuitur. ^h Nec tantum ſinit Deus agere iuſtrumenta (mala) ſed etiam excitat, impellit, moveſt, &c.

Multaq; præterea tibi poſſum commemorando

ⁱ Argumenta, fidem diſcretis contradere noſtriſ.

Quorum magnam copiam apud τεργαλης meos licet invenias.

Non itaque ſuaferrim pedem contrā feras, & quos ego in deli- cijſ habeō, interque eos hunc maximē τεργαλης meum, dein cepti laceſſas, quodd absolutem, efficacem & iuſtagantem mo-

Vid. Aug.
in Psalms
31. v. Pro-
nunciabi.

Tapeinoſo-
phron Ma-
gittis fuſi
Conſimila
ponit.

a Luth. de
S. Art. p.
141. in 8.
b Id. ibid.
p. 26.

c Zanch.
Miſcel. l. 2.
p. 246. in
f. L.

d Calv. Inſt.
l. t. c. 18. f. 3
e Mart.

Comm. in
c. 3. Iudic.
f. Zeged. in
Loc. p. 232.
Et p. 230.

alt: aliquo
modo cau-
ſam effe
peccati.

g Vt con-
tendit Bez.
Reſp. 2. ad

Coll. Mōtp.
h. Id. Vo-
lum. 1. p.
372.
ⁱ Huius nō
pe genij.
Propugna-
tores.

Potifſimum

Calv. cont.

Neb. ē Bez.

cont. Syco-

phant.

tumque actumque divinum in lapsu Adami se exseruisse contendit. Aliis ille ascendit, quam quod tua hebetudo sequi possit, & recte ex meo sensu causam omnium rerum, & actionum, etiam pessimarum, ad principem suam originem referit, nempe Deum; à quo, sub quo, ut prius dixi, omnia sunt.

ORTHOSOPH. Multa, fateor, haec tenus dixisti, absurda, falsa, &, quis neget? blasphema: quae multis etiam explicanda, & distinctè consideranda sunt. De ^a Thesi prius: de ^b Hypothesi deinceps. Vidēris te cum tuis evincere velle, & mundo persuadere, Deum indistinctè tam mala, quam bona, efficaciter velle ac procurare, illumque ex vi aeterni & absoluti decreti eventa singula, etiam dirissima peccata, sic omnino fieri velle, uti in tempore sunt. Novi equidem confusum illum vociferatum Discipulorum tuorum, quo promiscue ingenti ruditu clamant, à Deo motore, procuratore, & impulsore esse, quicquid huc deliratur inter mortales: sed quae me amentia cogat assentiri? Quid enim sani credam, si insanæ illorum, quae argumentationi huic summatis includi potest, opinioni accedam?

**Sententia
Proprietatis
de Deo peccati autore
Syllog. comprobatoria.**

Qui omnium flagitorum & peccatorum causa est prima, suprema, præcipua, volens illa & decernens, ad eaque instigans, creans, occasiones exhibens, cogens, impellens, denique Satanā & hominibus ut instrumentis malarum actionum utens, is efficiens, verus, & proprius autor & fons est peccatorum.

Atqui Deus, ex doctrina tuorum, prima, suprema, præcipua, &c. causa est peccatorum.

Ergo eorundem verus, efficiens, & proprius autor est, & origo.

Exod. 34.6. An putas, qui Deum novit summè bonum, misericordem, clementem, patientem, & multæ miserationis; tum justū, sanctum, sapientem, veracemq; &c. hæc tam atrocias, quæ vix mediocriter bono alicui viro adscripserit, de eo cogitaturū, aut proprias esse ejus affectiones, vel actiones, unquam crediturū? Quantò rectius sic de Satana, malorum omnium vero auctore, concluderis? Ingens sit acumen tuum oportet, si scias culpâ eximere eum, cui tam energeticas circa malum actiones, imò primos ad id motus, & impulsus, tam confidenter tribuis.

PROPOSIT. Hæc uti Discipuli mei ferè primarij Ioh. Calvini, mancipiorum-

piorumque ejus, γνῶστα esse agnosco, ita arbitror in ijs desiderari nihil posse. Verum jam antè dixi, tuos ista pro absurdis habituros, donec colla sub jugum meum mittant, & ultroneo ac facili assensu amplectantur, quæ ipsis ex arcanis revelationibus meis, licet eas non omnes intelligent, soleo dictare. Nec tam sollicitè illos ad singulas syllabas, aut voces, in S. Scriptura expressas alligo: satis mihi est, si, quem ego ipsis præeo, mordicus teneant sensum: secundum quem ista, quæ tu monstrâ dogmatum judicas, in sacris literis doceri jam olim efficaciter meis persuasi, quique istâ fide suâ freti, pro his acerrimè propugnant, & porrò propugnabunt.

ORTHOSOPH. Nempe Scripturam pro te jaegas, dum Horrenda ista stabilis: sed non nisi eam, quam miserè distorques, pervertis, aut prorsus evertis. Noli dubitare, & me in sacra ista adyta penetrasse, nec tamen illa ipsa, illisve similia, ullibi notare potuisse. Libens verò tibi assentior, me nec capere, nec probare ea, quibus tu tam cupidè, tamque mirificè te oblectas; sed nec capere velle, ob perniciosi in fide naufragij metum. Est cujus nomine Deo meo gratias agam, quòd hujusmodi labes, & fœda convictionia, illi nolim adspergere: est & quòd meæ Rationi gratuler, dum se intra veræ Modestiae cancellos continens, tam diras speculations de Creatore ac Domino suo non concipit. Si tua lascivia ludibundi cerebri industriâ gaudet, faciat sanè, ut lubet. Ego me planè, ubi de Deo certi aliquid dicendum, aut statuendū est, expressis dictis Verbi divini adstringo, nec nasum tuum euro, quoties extra, imò contra illud, otiosè ac securè differis, meque humo adfictam damnas, ubi illa περιπόθη tua non recipio. Noli igitur mihi brutum stuporem opponere, dum illa tua abnuo: mihi, inquam: qua verius tibi oppono Polyphemicam, aut Protagoricam θεολογίαν. Daphidas ille Telmissenus à Dijs infectandis non abstinuisse fertur: an hi, qui talibus elogijs immensam Dei mei majestatem, & bonitatem ornant, ab ejus temperitate longè absint, sani dijudicent. Si Thrasymachus olim sic disserisset, & nunc reviviceret, credo illum puderet. Sed nunc qui talia & in Dei injuriam, & multorum infirmorum offendiculum effutiunt, αἰσχύνεταις αὐτοῖς sunt, & proscriptionum tabulas in dissidentes meditantur, imò palam crepant: cæteri, qui ab ijs in diversum in his abeunt, bardi habentur & blenni. O versa regnum facies!

Propeteia
vult dog-
mata sua
tantum cre-
di.

Ortho-
phia id ab-
nuit, quia
in S. Ser.
non doce-
tur.

Monstrofa.

Stolidita-
tem.
Hesych. de
vir. ill.

Plat. I. 5. de
Rep. & Sy-
net. de Cat-
vit.

Optimi A-
chivorum.

Sententias
maxime
ratae.

Propetria
loca qua-
dam Scri-
ptura in
medium
profert,
qibus co-
natur pro-
bare suam
thesin.
Prov. 16.
v.4.

a Zanch.
Misc. ex
Augustino.
b Id. Zanch.
1.3. Milc.
p.56.
Responde-
tur ad Loc.
Pro. 16. v.4.

Propter. Video te patheticis tantum nugas *κυριας* meas *δοξας* perstringere, quasi sine fundamento extrectae sint. Incidendi ergo Scripturæ gladio tibi nervi, demonstrandumque paucis, (hic quidem) sed tamen validis locis, *Deum, si non proprium, tamen improprium* (quod cautè præmonere scis meum Clientem) peccati autorem & causam esse. *Omnia*, ait Salomon, *operatus est Dominus propter se, etiam impium ad diem malum.* Vides, hic impium à Deo creari, qui non nisi respectu impietatis, id est, peccati, talis est. Hoc effatum Sapientis, suo probatum calculo, & clariore expositum phrasi, nonnulli ex meis ita proferunt. *Etiam reprobati creati sunt propter electorum salutem.* Alias expressius: ^a *Creavit igitur (Deus) impios, & quotidie creat in salutem electorum, & gloriam suam, &c.* Quid ad ista regeris?

ORTHOSOPH. Quod tibi facile jugulum incidat: nempe, Mānifestē falsum dici, *Deum creasse impium, vel creare.* Vbi enim id Spiritus Domini pronuntiat? Non certè hoc loco. Nam neque *creandi* verbum hīc occurrit, sed tantum *operandi*, seu *faciendi*: (quæ duo non parum differre, docti harum rerum norunt:) neque necesse est posterius sententia membrum ad verbum *operandi* referre: quippe quod per se & absolutè capi posse, jam dum interpres Tigurini inter alios animadverterunt. Esto tamen hoc ut lubet, nihil adhuc viceras. Ait quidem Salomon, *Deum operari etiam impium ad diem malum:* sed eo ipso non aliud indicat, quām justam penam, seu diem malum, id est, supplicium, quod impium manet, à Domino ob antegressam impietatem ei irrogari. Sed ex hoc justitiae quidem punientis gloria eluet, non autem peccati caufati infamia. Nāmque aliud est homo, aliud impius: illum à Deo creatum citra istam qualitatem factor; hunc non item. Porro si verum est, *Deum creasse impium,* quā impius est, verum omnino erit etiam, *creasse diabolum,* quā talis est. At hoc falsum: *creavit enim bonum Angelum, qui suo vitio post factus est malus:* proinde & hominem creavit, & *creavit bonum*, qui deinde malus à seipso factus est, sponte se ipsum è bono transmutans in malum. Hominis causa procreans est Deus: Homō autem impietatis. Præterea ubi species justi iudicij, si Deus impium (quem talem, & non alium, creatum voluit) damnationi præterea addicat, quod contra creatoris sui voluntatem aliis non sit, quām impius! verum istud ludibrium ex hoc

hoc loco jam alij abundè refellerunt. Ego nunc tantùm tria ista tibi argumenta oggero:

1. Quicquid à Deo creatum est, in eo apparent vestigia Sapientiae, Omnipotentiae, & Bonitatis Dei.

At in impio (quà talis est) non apparent hæc talia vestigia, sed potius contraria.

E. Impius, quà talis, à Deo non est conditus.

2. Quicquid est, necesse est bonū sit, aut malum, aut neutrum. Impius est, etiam quà talis.

E. Necesse est, eum aut bonum esse, aut malum, aut neutrum.

Si neutrum est, aliquod Dei opus nihil, aut vanum est, seu nec bonum, nec malum. Hoc autem est contra Scripturam, quæ ait, *Gen. i. ult.* Omnia creata valde bona fuisse. Et Deuter. 32. v. 4. Opus Dei perfectum est, &c.

Si, *impium esse*, malum est, oportet id malum oriri à malo principio: quia nullum bonum principium producit malum, juxta dictum illud Christi, *Bona arbor non potest fructum malum proferre. Matth. 7. &* At hinc inferatur, Deum velut Manichaicum esse, h.e., mali autorem.

Si, *impium esse*, quis dixerit bonum esse, evertet ille omnem rationem, quia contradictoria de eodem simul afferet. Falsum igitur, Deum creasse impium, quà impius est.

3. Omnia à Deo creata sunt valde bona, teste Moyse.

Impius est, quà talis, à Deo creatus, secundum te.

E. Impius, quà talis, est valde bonus.

Bona vero à Deo odio non habentur, non damnantur. Ergo nec impius: ac proinde nec ad diem malum destinatus dici debet. Quod est contra textum, à tuo illo citatum.

PROPET. Speciosis hisce nodis tuis ego Alexandrum meum ingenij suiacie diffecandis operam daturum confido, cujus tanta est solertia, ut ubique facile elabendi rimam inveniat. Ego alium tibi Scripturæ locum objicio: *Deum, scilicet, operari omnia secundum benefacitum voluntatis sue. Vnde vides me ritè educere, Habere Deum rini actuosam & effectricem in omnibus: & universalem hic particulam esse, quæ nulla prorsus quantulacunque exceptione restringi posse. Et sic illud evagere, etiam de malis operibus rectè explicari censeo.*

ORTHOSOPH. Si Apostolum huc tantum de Salutaribus dominis Gratiis

*Objectus
locus Eph.
i. v. II.*

*Gryn. in
theſl. orth.
fid. fol. 57.*

*a Testibus
Calvino,
Benza, Soh-
nio.*

nis Gratiae loqui attendis, tam profanam de optimo Deo sententiam non protulisses. Textum tantum accuratori oculo post lustrare pretium operae erit. Iam ^b Defectum (cujusmodi sunt peccata) sive effectum deficientium, juxta Patres non est quærenda causa efficientis: multò igitur minus haec causa Deus fuerit. Porro, ut exserte dicam, non omnia quæ in mundo fiunt, Dei efficiente voluntate & consilio peraguntur: alioquin & mala quæque auctori Deo possent imputari, quod absurdum & impium. Sensus igitur verborum Apostoli est, non quod Deus omnia operetur quæcunque in mundo fiunt, (absit) sed quod ista omnia, quorum ibi mentio fit, (notabis emphasis in verbis *mār̄ḡ*:) h. e. opera salutaria, pro beneplacito suo efficerit, & partim adhuc efficiat: seu, quod universa quæ fecit, consilio & voluntate fecerit. Ideo Apost. ait, eum haec omnia operari, quæ videlicet certi generis sunt. Alias de malis, seu peccatis, firmiter tenendum, quod apud Ioannem legitur, cupiditatem oculorum, libidinem carnis, & fastum vitae non esse ex Patre (id est, Deum ista non probare, nedum operari) sed è mundo. Subjicio igitur etiam hic contrarium argumentum:

Quæcunque operatur Deus, ea sunt ex consilio & voluntate ipsius.

At mala, seu peccata, non sunt ex consilio & voluntate ejus:
[Quippe voluntati ejus contraria.]

E. Deus mala, seu peccata, non operatur.

PROPET. Sed quid ad hunc locum dices! *Omnia sunt ex illo, & per illum, & in illum.* Rom. i 1. v. 36. Viden' Deum absque exceptione omnium constitui autorem, & causam efficientem? Ergo & peccatorum, quæ sub ipsis omnibus, universè acceptis, omnino comprehenduntur.

ORTHOSOPH. Sunt haec quoque verba, si ad subjectam materiam ritè conferantur, non prorsus universè, sed generatim tantum de rebus ab Apostolo ibidem tractatis capienda, prout omnes loci peristases indicant. Si tamen hoc praefacte rejeceris, dicam cum antiquo Doctore, quod res est: *Cum verba illa Apostoli audimus, omnes utique naturas intelligere debemus, quæ naturaliter sunt.* Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturam non conservant, sed irritant: quæ peccata ex natura esse peccantium multis modis sancta Scriptura testatur. Deus boni tantummodo causa est, & propterea ipse sumum

^b Vid. August. de Civ. vit. cap. 7.
Lib. 12. p. rot.
Hieron. in
hunc Loc.
ad Ephes.

^a Ioan. 2.
v. 16.

Ob. Loc.
Rom. 11.
v. 36.

Respon.

August. lib.
de Nat. bon.
cont. Ma-
nich. c. 8.

num bonum est. Quocirca mali autor non est, qui omnium que sunt auctor est; quia in quantum sunt, in tantum bona sunt. ID. I. 8. *Quare hic iterum in-* quæst. Q. 2. *fero:*

Quæcunque ad Deum authorem referenda sunt, ea ab ipso facta esse oportuit.

Peccata à Deo facta non sunt. [Cùm sint vitia, & meri defec- ctus, ut liquet maximè in ipso peccato Adami.]

E. peccata ad Deum autorem referenda non sunt.

PROPET. *Quicquid reponas, negare tamen non potes, à Deo, ut causa universalis & superiori, esse omnes actiones, & motus creaturarum: qua cùm sint particulares tantum cause, nihil agunt absque universalis illa, scil. Deo. Vnde & illud porrò consequitur, cùm creaturarum (ratio-* Alia Ob-
jeçt. de Cast.
fa Superio-
ri, & Inferioribus.
nalium) actiones peccata sint, etiam hæc ipsa esse à Deo, ut à causa uni-
versali.

ORTHOSEPH. Negare nec volo, nec possum. Omnes actiones, Resp. in quantum actiones sunt, à Deo esse, id est, Deum, ut causam primam & universalem, ad quamlibet secundæ causæ actionem concurrere: Videlicet, vires & facultates agendi sufficiendo, agentem conservando, & suo modo movendo: Imò plurima simul agentia ad agendum movendo applicandoque. Sed hoc de ijs tantum intelligo, quæ sunt agentia vel naturalia, vel alioqui bona, & primo agenti propriè ac per se subordinata, in quibus inferius non movet, nisi motum à superiori: non autem de ijs, quæ moraliter ex semetipsis contra Deum feruntur, sive quæ egrediuntur & deflectunt ab ordine primæ causæ, cujusmodi sunt homines angelique peccantes. Hanc ergo generalem Dei circa creaturas (etiam peccantes) actionem, sive motionem ac sustentationem, S. Literis fulcitam scio. Cæterum veram moralium actionum differentiam (in bonas & malas) in ipsis causis secundis querendam esse contendeo. Easdem vero actiones Deo, causæ universali, & non particulari potius adscribendas esse, puta quæ male perversèque sunt à creatura rationali, nunquam statuam. *Discrimen enim hoc malarum & bonarum actionum, tuis etiam fatenti- Bez. resp. 2.*
bus, tantum cadit in ea instrumenta, quæ intelligentiæ & ratione prædi- ad Colloq.
ea sunt, cujusmodi sunt angeli, & homines. Deus enim sic administrat om- Möt. p. 179.
nia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere motus & pro libitu Zeged. l.c.
agere sinat. Universalis Dei motio Generis quodammodo locum p. 230.
in actionibus specialibus obtinet, ac proinde omnibus ex æquo Neque ad altissimam & primam

causam
malitia ejus
motus est
referenda:
verum ad
singulatia
principia
corruptionis
obnoxia,
unde pro-
feclus est,
accommo-
dabitur.
Operatio-
ne.
In lato sen-
su.
August.
sup. Gen.
l.9. c.15.

Vrsin. Cat.
ad Quæst. 7.

Vidend.
maximè
Schaafman.
duob. Libb.
de Cauff.
peccator.
quibus ille
in soporem
datus est,
cui sunt
oppofiti.
I. Ratio ex-
cusa: An
Deus fit
causa pec-
cati Adae &
aliorum;
Quia ab eo
emnia: &c.

„ „ „

communis est & indifferens, ideoque vera actionum discrimina non potest inferre. Proxima causa, quæ actiones morales utriusque generis specificat, est voluntas hominis, sola seipsum ad actum vitioum determinans: sed ad bonum non nisi interveniente *in operibus* divinâ. Si dicas, *inferiores causas nihil efficere absque motu superioris causa*: libenter *eu πλάτω* subscribam. Si enim Deus subtrahat intimam suam operationem, quæ naturam creatam sustinet, continuâ tanquam extinctâ nulla remanebit. Et tuffi Deus continenter operatur, nec aliarum rerum, nec ipsorum Angelorum, natura subsisteret. Sed ista nihil ad morale vitium, & *ab operibus* actionum faciunt, quæ à rectâ subordinatarum causarum *ταχει*, seu legitima serie non dependet. Quod liquido, inter alia, apparet, in primo Adami peccato: cuius *απόλετη* à Dei voluntate aberrasse res ipsa docet. Hoc igitur, aut ullum aliud, quisquis ad Deum autorem (osorem enim, & ultorem ejus fuisse novimus) fidenter retulerit, videat quomodo blasphemiam istam manifestariam excusat. Et certe si vani sunt, qui culpam peccatorum suorum in humeros Diaboli exonerare conantur, (ut docet centuriatus quidam inter tuos) quid putas de ijs statuendum, qui id in Deum rejicere tentant? Si prolixiores fortè responsiones ad hæc, & alia objecta tua, circa hanc materiam Cliens tuus avebit, convertat se ad eorum scripta, per quos olim hodieque contra effrenem tuam petulantiam (ignosce verum ingenuè loquenti) hanc causam egi, atque ago. Fortè inveniet, quæ cornua ejus decutiant.

PROPET. Ego verò id curæ ei futurum non dubito. Interea ut ex ipso etiam Adami lapsu probem, necessariò ad Deum, ut primam causam, illud malum reducendum esse, principio contendo, mihi tam certum esse, *Deum illius rei, que homini peccatum est, causam esse*, si coram stulta tua Ratione disputetur, quam certum, mero meridie esse lucem.

ORTHOSOPH. Hoc Clienti tuo persuasissimum esse, si modò verum de seipso dicit, non ignoro. Sed ut blasphemiae crimen declinet, dicis causa addere solet, nostrum intellectum eò non pertingere, ut capiat, quomodo interim absque culpa sit Deus, lapsum Adami energeticè causans. Scire autem velim, cur misellis & infirmis mentibus ergo persuadere conetur dogma tam asperum & intricatum tam absonum & profanum, cujus nec modum aut rationem ipse capit, nec unde haustum sit, aut ad quem

quem usum tendat, novit. Cur non potius facilimâ operâ alia magis certa & salubria inculcat, & ab his periculis ac insanis, quæ nil nisi profanos homines efficere queunt, (solidè quidem percepta, & firmiter credita) *Ago inquit* in totum abstinet? An sic Genium ejus juvat *Ago inquit*?

Cogitatio-
nibus.
Fucum fa-
cere.
De phras:
Homini
peccatur
esse.

Verum hæc ipsa phrasis qualis sit, vix assequor. Mira sanè mis- hi videtur. Quid enim est, *Homini peccatum esse?* Nihil eorum, quæ homo prævaricando patrat, ipsi propriè peccatum est: sed quicquid tale agitur, Dei respectu sic dicitur. Illius ratione peccatum est, qui Legem tulit, Dei scilicet, qui violatur, non, qui violat, hominis. Nisi fortè hoc velit, *Deum causam esse illius facinoris, aut rei, quæ homini peccatum est,* id est, quæ homini, non Deo, ad peccatum imputatur. At sic neque diabolus, neque homo, summum principium peccati erit, sed Deus, quod blasphemum: neque liberè homo peccaverit, ideoque non tam ratione suæ improbitatis, quæ divinitus impositæ peccandi necessitatis causa, punitus & maledictus est. An fortè hoc: Deum quidem efficaciter movisse hominem & impulisse ad peccandum, sed tamen non Deum, verum hominem peccasse. At quæro, (ut possibili- tatem resistendi isti motui divino taceam: voluntati enim ejus quis resistat?) quomodo, aut qua specie, debuerit Adamus conari omittere peccatum, citra parem, aut majorem culpam? Nam si quidem tentasset effugere prævaricationem, restitisset absolutæ voluntati Dei (qua Deus, juxta te, præcisè lapsum ejus voluit) & sic non minus, quæ legem datam violando, peccasset. Cùm ergo jumenti instar actus fuerit Adamus in lapsum, (ex tuo sen- su) vi divinae voluntatis, quis dicere ausit verè peccasse? Nam nec libera elec̄io, nec verè spontaneus motus (quæ ad peccati natu- ram debent concurrere:) nec verum objectorum judicium, aut discrimen, in eo tum fuerit. An denique hoc fortè? Deum Li- beri arbitrij autorem esse, quod homini demum peccatum est. Sed & hoc falsum. Et cupio probari hanc formulam: *Liberum ar- bitrium est, vel fuit, homini peccatum;* aut saltem causa peccati per se. In his autem talibus, plusquam Tellenis tricis, vix sanè licet si- ne offensione aut injuria Dei versari. Abstineo igitur Heracliti- cas iusta obscuritates & ineptias ulterius investigare.

PROPET. Nec fortè suffeceris. Veruntamen mirari satis ne- Objec.
quo, nondum tibi constare certitudinem meæ sententiæ. Ne

tamen quid desideres nervosioris demonstrationis, ecce, expendenda tibi erunt ista, ut melius perspicias, non frustra me asserere, à Deo provenire malum. In universo isto, de quo agimus, Lapsus negotio, considerandus tibi primò Peccator ipse, Adamus. Is quæso unde fuit? annon à Deo? utique dices. Deinde Eva coniux, lapsus magna procuratrix. Ita à quo? Certè à Deo. Hanc quis aggressus est, & seduxit? Diabolus. Sed is quoque à Deo. Vnde horum omnium voluntates? A Deo, & sub ejusdem imperio. Arbor item scientiæ boni & mali annon à Deo? Denique Lex, esum dictæ arboris vetans, non ab alio posita. Iam si hæc instrumenta, à quibus peccatum promanavit, Deum solum autorem habent, eandem etiam causam habebit peccatum, ab ipsis junctim perpetratum. Et hoc ideo indubitatum esse affirmo, quia *Causa causæ est etiam causa causati.* Et hunc tu iustum haud facile eluseris.

Resp. ORTHOSOPH. An tuis me putas hisce sophismatis, seu tuo iudicio inexplicabilibus ratiocinationibus, non sufficere, de hoc sanè parvum sollicita sum. Phætontæas istas aurigationes tibi relinquo, nec, cùm in plano via expedita datur, aërem secare cum ruinæ periculo libet. Video autem te perpetuo hic de genere uno in aliud transilire, & causam per accidens pro causa per se aut fraudulenter, aut imperiti substituere: ut specie saltem tenus elicias, quod rebus veris obtinere nequis. Quod igitur mihi mysterium tuum de Deo peccante, seu peccata procurante, studies liquidius reddere, & assensum meum elicere, stulte equidem laboras. Ut enim pro vero (& verum esse fateor) tibi largiar, Adamum, Eam, Diabolum, arborem, legem, & si quæ sunt alia, quæ huc pertinent, à Deo ut prima & procreante causa esse (hæc enim omnia exsertè Scriptura inculcat, & inculcans vult credi) tamen consequens illud tuum non potest aut debet mihi probari, utpote quod falorum omnium fallissimum sit, nec Genium S. Scripturæ redoleat, sed eundem potius è diametro oppugnet. Vide autem, quād lepida hæc fuerit collectio:

Deus produxit seu creavit Adamum, qui deinde peccavit:
Ergo etiam Adami peccatum produxit.

Et:

Deus creavit angelum bonum, qui post evasit diabolus.

Ergo

Ergo & creavit diabolum, id est, angelum malum.

Et:

Deus tulit legem contra transgressionem.

E. Idem causatus est transgressionem.

Et:

Deus ab arbore voluit abstineri,

E. Deus ab arbore posita voluit non abstineri, sive edi.

Tam expeditæ sunt omnes argutiae tuae! Quod pecus tam
brutum, ut fallacias, imò contradictiones iatas, non intelligat?
Et tamen mirè sibi in talibus placet Cliens tuus. Cæterum evi-
dentiūs ineptiarum tuarum futilitas demonstranda est. Dicis
Adami peccatum, h.e. malitiam, esse à Deo: Quia ipse sit à Deo
creatus &c. Scilicet hoc credit illatio tua:

Quicunque creavit hominem, malum postea factum, is &
malitiam ejus fecit.

Atqui Deus illum creavit, &c. Ergo.

At verò ostendi hoc mihi velim è Scriptura, cui uni in hac re
tam magni momenti fides debetur, non figuratis humanis;
ostendi, inquam, velim, ubi S. Scr. doceat, Deum malitiam pro-
curasse: seu quia hominem creavit, potea peccato infectum,
idcirco & peccatum hominis creasse. Quomodo autē, quæso,
Deus peccatum creare potuit, cùm sit accidens privativum, vi-
tiumque deficiens, & malitia sit optimo creatori adversa? Ne-
quaquā ergo prima efficiens peccati Adamitici causa est Deus.
An fortè vis peccatum æquè ac hominem esse substantiam? At
hæreticæ hujus opinionis jam olim damnata es in Hermogene,
Marcione, Flacio, & Manichæis. Ictui tuo, de causa causa & cau-
sati, observa quod scutum opponam. Causam causæ etiam esse vid Schaaf,
causam causati verum est in rebus essentialiter ac per se, non ca- de Cauff.
sualiter & per accidens subordinatis. Ut si Deus est autor Gra- peccat. l. 1.
tiae & Fidei, erit etiam bonorum operum, ex fide per se existen- c. 8. & l. 2.
tium, autor: quia hæc effecta absque prima illa causa prodire c. 7. plurib.
non possunt ex causis secundis. Et hic causarum necessariò sub- refutantem
ordinatarum non interruptus ordo servatur. Alioquin, nisi hæc hoc sophit-
limitatio admittatur, varia ex hoc axiomate eluceret falsitas. ma.
E. c. Anima in homine claudicante causa est motus: an ergo & De Axio-
causa est claudicationis? Pulsatæ cytharæ causa est Arion, sed mate: Cau-
non turbatæ harmoniæ, cujus causa est chorda nimis intensa, aut fa Causa Cau-
sati.

remissa. Sic pluvijs irrigata terra facultatum in arboribus producendi fructus causa est; an ergo & terræ, aut pluvijs, impunitandi vitiosi fructus? Pater causa est filij. An ergo & furti, aut homicidij, quod filius commisit? Simpliciter ergo & ubique verum non est illud, quo tantopere superbis, enunciatum tuum. Inverto autem contra te argumentum, hoc modo:

Quicunque est causa causæ, is etiam est causa causati.

At Deus non est causa causæ, id est, malæ voluntatis, quæ propria & proxima, adeoque primaria, peccati causa est.

E. Deus non est causa causati, id est, peccatorum.

In Lapsu
Ade quid
à Deo, quid
non?

Iam quid à Deo, quid contrà non, in hoc (de quo agimus) negotio profectum esse credam, indicabo. Lapsus Adami meritò peccati reus peragit, in quo tamen multæ, Dei auxilio motæ, operationes conspiciuntur, quæ per se, quippe omnis culpæ expertes, accusari nequeunt: cuiusmodi sunt suggestionis facultatum, quibus homines possent manum extendere, pomum comedere, ratiocinari, audire Satanæ sermones, contemplari fructum, & si quæ sunt aliae: illæ omnes sunt cause superioris, in Adamum q. implantatae, inque eo motæ & conservatæ actiones, seu mavis earundem facultates, nec ullo modo vitiosæ. At quod in istis latens contra Dei interdictum ad finem, & objectum illicitum ferrebat, hoc ἀπεξίᾳ ipsis per se bonis actionibus adsperrgit, & peccatum ipsum est, quod divina lege damnatur. Hujus ἀπεξίᾳ, sive defectus, qui proprius est secundæ causæ, origo non est reducenda ad causam primam: quæ quidem causa est, quod secunda sece moveat & agit, sed non est causa, quod actiones secundæ causæ sunt conjunctæ cum vitio ac defectu. Sustentavit Deus naturam Adami, ut ageret, sed ut malè ageret, non intendit, ne dum hoc instigavit, aut impulit.

PROPER. Nebulæ cyathum mihi propinas, quam removeri
TAP. A. 6. a. oporteret ab oculis, si clarè rem cernere velles. *Defectus, qui in secunda fuit causa, omnino originem duxit à prima, quamvis in hac defectus ipse non resederit.* Nec verò satisfacis, dum infers, egressam esse secundanam causam ab ordine primæ causæ, sive effectum à sua causæ lege deflexisse. Nam eo ipso indicas, vel imprudentem, vel impotentem esse causam primam, quæ vel non observet, vel impedire nequeat, effectum inde promanans.

ORTHOSOPH. Dubiè & intricate loqueris. Existimo tamen

hoc

hoc à te dici : Peccatum originem duxit à Deo , licet ipse non peccarit . Sic enim resolvenda tuâ verba : Defectus secundæ causæ (hominis) cît peccatum . Ille defectus originem ducit à Deo : in hoc autem non residet defectus , id est , peccatum ; ille non deficit , i.e. non peccat . An sic ergo satis feliciter ac solidè culpæ abs te purgatum credis Deum , cum sic latus : *Deus est origo defectus , seu peccati Adamitici , nec tamen ipse peccat ?* Digo hoc indicasse , plusquam refutasse est . Denudò autem (quod crebro repetendum est) hic formulas Scripturæ exigo , quibus Deum defectus illius originem , vel autorem fuisse probes . Nimis hic protervam tuam insaniam prodis , cùm , quod alijs impactum velles , ex ebriæ Ratiocinationis pomptuario inceptas consequentias , aut insulsas glossas , aliaque id genus straminea tela desumis . Si , quod vis videri , verè modesta essem , in solo Dei verbo acquiesceres , & eo te munires contra (fallò tibi sic dictos) Rationales . Occino tibi hic illud tuum : *Nosce teipsum .* Addis etiam , non satisfieri tibi responsis meis . Sed quid ? Si tu nunquam agnoscere velis , aut possis , tibi satisfactum , an ideo non erit ? Illud moris est Temeritati & Arrogantiae , utut maximè prostrata sit , nunquam tamen se talem fateri . *Quod de prime causæ imprudentia , vel impotentia arguis , id vanum & falsum est in casu nostro , ubi non de eodem agitur , sed de diversis causarum generibus , Essentiali videlicet , & Accidentalí , seu per se , & per accidens , item physico , & morali , quæ nimis imperitè in hoc negotio identidem confundis .* Quasi verò Deus eodem modo , & gradu , eodemque genere , fuerit causa Adami , quo iste fuit causa sui peccati . Non est utrobique , inquam , Essentialis causarum nexus , non ordo necessarius & per se . Hoc quidem essentiali modo Deus causa fuit Adami : hoc modo quilibet pater causa est sui filij . Et quilibet opifex sui opificij : V. gr . Statuarius suæ statuæ . Et in his valet axioma tuum antè excusum . Non valet autem in serie Accidentalí , sive in ordine contingente & casuali , ad quem causa moralis saepè referenda est , quoties scilicet à Lege primæ causæ aberrat . Porro in hoc ordine Adamus fuit causa sui lapsus , seu peccati : Vt etiam quilibet filius peccans sui facinoris (non pater ejus) causa est . Sic nec artifex vitij causa est , quod artificio postea supervenit . V.G. Statuarius causa nō est cariei , aut putrefactionis , quæ statuæ fortè accidit . Vide igitur argumentū tuum :

Adami

Tapeino-
phroni
Deus est
causa pec-
cari Ada-
mitici.

Tapein.
paulò ante
finem.

Contra ca-
lumn. De
prime cau-
se impru-
denteria vel
Impoten-
tia.

Adami hominis, h.e. integræ essentiæ, causa est Deus:

E. Idem est causa vitiosi Accidentis in Adamo, id est peccati.

Quæ hic ratio, aut connexio? Nemo sanè ex essentiæ, sive substantiæ suæ necessitate peccat: sed peccare homini accidit, estque hoc merè voluntarium, ac vitiosum accidentis. Pro insigni igitur acuminis specimine insignem & crassum errorem hic adfers, quem ridet sana Philosophia; scil. dum paralogismum Accidentis committis, quod de Substantia sola verū est, id de quo libet Accidente indifferenter sumendo. Possem tibi pluribus exemplis, & argumentis rem illustrare, nisi scirem oculos tuos, quamvis cœcutientes, ista non fugere. Mirum verò, cur non erubescat fictitiæ Tapeinophrosynes alumnus, tam palam adversus verè modestos in acie stando, & statuendo, Deum autorem esse peccati Adamitici, ab eo ipso Authore in diversum abire, quem sacrum Antistitem aliàs agnoscit, cujusque negotium & hic, & alibi, agit tam gnaviter. Solet enim is anxiè satis alibi contendere, ne tantum tamquæ perniciosum prætextum carni detis, eoquæ Deum vel à minima etiam specie criminis eximendum

Vrb. hic di-
versum à
Calv. sentit.

Inst. I. 2. c. 1.
f. 10. & 11.

c. 7. v. 30.

Inst. I. 1. c.
13 f. 1.

Intell. Dog-
mati, quo
traditur vi-
tium natu-
ra humana
esse à Deo.

curat. Opus Dei, inquit, perperam in sua pollutione scrutantur, quod in illa adhuc integra & incorrupta Adæ natura requirere debuerant. A carnis ergo nostra culpa, non à Deo, nostra perditio est. quando non alia (nota non alià) ratione perijmus, nisi quia degeneravimus. Et: Ruinam nostram nature depravationi imputandam meminerimus, ne in Deum ipsum naturæ autorem stringamus accusationem. Iterum: Non est cur conquerarum, nisi de nobis ipsis, quod diligenter annotavit Scriptura. Dicit enim Ecclesiastes: Hoc scio, quod fecerit Deus hominem rectum: ipsi autem quæsiverunt sibi ad inventiones multas. Homini tantum suum exitium adscribendum apparet, cum Dei benignitate rectitudinem adeptus, suâ ipse dementiâ in vanitatem delapsus sit, &c. Hoc autem ideo cavendum alibi monet, ne carni, plus satis alioqui procaci, stimulos ad peccandum aliquis addat, hoc portentosum thema suggestens, & peccata incrustare doceat isto luto. Cum ergo videamus, inquit, carnem inhiare subterfugijs omnibus, quibus utcunque derivari alio à se malorum suorum culpam existimat, huic malitia diligenter obviandum est. Porro cuius hæc sit sententia, & quis se pleniusque eā ruetatur, eodem loco prodit. Sanè nec vera Tapeinophrosynæ, nec veræ Religioni eam tribuit, sed impietati. Audi ipsum:

ipsum : In hoc prætextu se babere satis defensionis putat IMPETAS, si obtendere queat , quicquid habet ritij, à Deo QYODAMMODO prosectorum esse. Vides , hunc in eo totum iſtis quidem locis effe , ne ullius pravitatis culpa, vel minimo prætextu , in Deum transscribi possit. Dum igitur Cliens tuus, faltem *impropriè*, Deum autorem prætatis humane proclamat, (cū scil. mitiflīmè & benignissimè de eo loquitur : Nam solet aliās eum propriè, ex Regula ista : *Quicquid est causa cause , &c.* peccati autorem facere , uti pōst ex aliquo ejus thematis, in unum collectis, fusius videbis) quid dicas eum aliud agere, quām ut Deo QYODAMMODO, seu aliquo modo, peccatum adscribat? quod Pythagoras ejus *Impietatem* prætendere clarè & verè pronuntiat. Quæ hæc ergo Modestia est, id pro certo habere & fano , quod non nisi ab Impietate dici , aut cogitari potest? Non tam lux tenebris pugnat, quām veræ Modestiæ Impietas. Quod si hoc ejus effatum firmiter sibi carnis sensus inscripserit , abundè jam fomentorum blasphemis de Deo cogitationibus suggestum experieris : quæ nullis unquam verborum fluminibus facilè extingues, aut elues. Constat ergo , & Discipulum à Magistro hīc aliud sapere, & quia Magister hīc rectè sapit (etsi parum sibi aliās constat) illum ab hoc dissidentem indubiè errare. Tu jam, si videtur, perge.

PROPOSITUM. Pergo : & ecce alteram tibi rationem oppono, quæ mihi suadet, ut accredam , Deum peccati Adami autorem esse: *Quia labilem Adamum condidit.* Hæc ipsa Labilitas, id est, potentia labendi , occasio fuit lapsus : illa verò à Deo est. Ergo & lapsus. Nisi enim planè voluisset lapsum Deus, fecisset talem hominem, qui labi non posset.

ORTHOSOPH. Fallis, aut falleris, dum disparata pro connexis, seu mavis disperaria pro Paribus sumis. Multum differunt, *Facere hominem labilem ; & , velle* (prout tu capis hanc vocem) *labi hominem.* Illud ego de Deo concedo ; Hoc tantisper nego , dum è Scriptura probabis. Falsum enim est, quod ex illo elicis, nempe, Deum absolutè & immutabili efficaciâ voluisse lapsum Adæ. Facere labilem, potentiam tantum labendi supponit, quæ culpa gravari nequit : Velle autem alium labi, seu ut labatur, & impingat in præceptum, actum denotat, cui adhæret vitium, cumque talem, qui nulla ratione ob jam ab æterno factum decretum impediri potest. Quod autem hac voce (Labilis) in hac causa de-

II. Ratio à
Labilitate.
Argument.
Tapei-
noph. Qui
creat labi-
tem, creat
etiam la-
bentem.
At Deus
creavit
Adamum
labilem. Et
go.
Respon.

lectaris, callidè facis. Non ignoras enim, ità ambiguitate haud difficuler imperitis imponi posse. At audi : si labilem esse intelligas pro eo , quod est posse labi , & non actu confirmatum esse in gratia , jam antè responsum est , hunc sensum admitti. Talem enim hominem(scil. labilem) nisi Deus condidisset, nulla fuisse laus humani operis , sive virtutis : nam necessitate homo fuisse bonus. Quid, quodd labilem tunc oportuit condi hominem ? ita. enim poscebat Dei Sapientia simul & Iustitia , quæ viam tunc struebat & præmijs , & penitentias. Ergo aliter fieri non poterat , ex ipsa rei proposita natura. Deus enim non dat gloriam, aut præmium, ulli creaturæ, nisi quæ liberè priùs obediverit, h.e. ita ut potuerit non obedire. Imò si Bernardo credimus, quamvis Deus altissimus omnipotens sit , non potuit tamen æqualem sibi condere creaturam, h.e. minimè labilem. Rectè igitur talem (nempe labilem) creavit. Sin autem de qualitate aliqua vitiosa id accipis, per se ad lapsum inclinante, nego simpliciter labilem, id est, cum inclinante ad peccatum infusa qualitate , Adamum creatum esse : quia scilicet integer , seu bonus & rectus , conditus erat, tam animo, quam corpore. Sed hujusmodi sophistications illi ipsi , quos Cliens tuus maximi facit , proterriam hominum impie curiosorum appellant. In quo Epiphonemate , quippe verissimo , & ipsa acquiesco.

Instant. De
peccato in
Potentia
productio.

PROPER. At nondum mihi rem satis expedijsti. Adamum enim Deus creando labilem , utique peccatum in potentia produxit. Qui verò peccatum in potentia producit, is etiam peccati illius, quodè potentia emanat, autor est. Atqui Deus in potentia illud produxit , &c. Ergo. Itaque cum peccante in eodem criminе hæreat oportet.

ORTHOSOPH. O telepidam Ratiocinatricem ! Vetas alios extra Scripturam, nedum contra eam, loqui : & quoties fortè verbum excidit mihi, aut meis , quod non facit ad tuum præconceptum sensum , illicè classicum canis , & cohortes tuas in me concitas. Num verò tu ipsa non strenuè hic , & saepius alibi facis, quod in alijs reprehendis ? Vbi enim, quæso te, iota unicum hujus ridiculæ sophisticationis in sacro Dei verbo extat ? Perge verò, ut cœpisti, proprio tuo te sic jugulare gladio. Pauca tamen ad tuas argutias reponenda sunt. Ludis hic æquivocatione in voce Potentie. Cum enim non nescias , duplicum esse Potentiam,

Resp. per
distinc-
tiō-
nē dupli-
cī
Potentie.

tiam, merè Physicam unam, quæ planè necessaria est unius ejusdemque actus productrix, ordine Naturæ semel constituto: Alteram non Physicam, sed Moralem ac Liberam, eoque Liberæ rationali creaturæ propriam: debebas indicare, de qua tandem Potentia nunc ageres. Si enim potentiam merè Physicam, ad 1. ^{1. Potentia}
^{Physica.} peccandum à Deo determinatam, in Adamo fuisse dicas, quæ ita se in illo habuerit, quemadmodum se habent potentiae rerum aliarum purè physicarum, (puta in vite, potentia producendi vinum, in malo producendi mala, in magnete trahendi ferrum, in foeniculo potentia pellendi fatus, &c.) & sic necessarium fuisse, ut actus vitiosus, tanquam fructus ex ista potentia naturali, tandem prodiret, quemadmodum fructus ex seminibus causantur: dico blasphemum esse vel cogitatū, Deum Adamo talēm peccandi potentiam indidisse, h.e. *Adami naturam peccatricem produxisse*. Si credis, inquam, *naturales Adami potentias peccativeras* fuisse, idque ex ipsa Dei creatione, uti vitis est vinifera, quercus glandifera, &c. quia ab his naturaliter & necessariò tales actus emanant, habe tibi, tuisque mancipijs, istam omni veritati contrariam, planeque pudendam & pietati noxiām opinionem. Si verò de Potentia Morali ac libera loquaris, cui integrum est agere, & non agere, verum quidem hoc Enuntiatum fuerit; at falsum tamen consequens, quod ex eo deducis. Cùm enim hæc potentia per se ad utrumque oppositorum indeterminata sit, seu ad actus contrarios indifferens; cumque exercitium ejus in potestate, vel arbitrio, possidentis ab ipso Deo planè depositū sit: ineptissima sanè collectio erit, ex assertione hujus potentiae determinatum aliquem actum, præsertim vitiosum, tanquam ab autore potentiae causatum, inferre. Quare nequaquam verè dicis, illum peccati etiam actum producere, qui producit peccandi potentiam. Quin potius sic colligendum tibi erat: cùm in ista data potentia tam insit suspensio & omissione actus, quam actus ipse, & magis quidem ista, quam hic, non necessariò ad positionem talis potentiae sequi positionem actus ipsius: quippe qui ut fieri potest, sic potest etiam non fieri, & omissio: quod quidem in illis rebus inanimatis, & ratione destitutis, non ita se habet. Itaque non immeritò conversim dici potest, qui producit omissionem actus in potentia, is autor est ejus omissionis: quum tamē non is omittat actum, qui potentiam omittendi

2. ^{2. Potentia}
^{Ethica.}

dat, sed qui omittit reipsa. Sic ergo is Consimiliter non est causa determinati mali actus, qui liberam dat facultatem determinandi in utramque partem; sed qui ad malum sponte determinat concessam sibi potentiam ad utrumque indifferentem. Alioqui manifestò peccaret ipse Deus, si Per se bonam voluntatem, & adhuc liberam, ad malum determinaret: quæ specialis determinatio ad malum propriè peccatum est, & liberæ tantum electioni determinantis imputari debet. Quodsi ex sola agendi Potentia arguendus est (quod tu vis) etiam ipse actus, plurima sanè hinc absurda prodibunt. Nam sic boni multi dicendi erunt Mali, & vicissim: Impij dicendi pij, & contrà: Indoctus dicendus doctus, &c. quia potentia tales sunt, seu tales fieri, aut esse possunt. Postremò etiam cogita, an aliquo colore V.gr. cerevisiarum, qui dum inebriantem potum coxit, sicque ebrietatem in potentia produxit, etiam ipsius ebrietatis, & ex eâ commisisti homicidij, reum agere possis. Vides jam, opinor, quomodo hic claudicet Seraphica tua subtilitas.

Al. Instant,
de Inten-
tione Dei
in creando
Adamo la-
bili.

Tap. A.7.b.

PROPET. At verò tu multis modis inscita videris & ignara, ut quæ nescias, in quam multa absurda sic sentiens incidas. Dic enim, cùm labilem fecit Deus Adamum, quid intenderit? Ut staret? an ut laberetur? an verò nullo fine talem creavit? Si nullo fine ais, graviter erras: quia Deus & natura nihil agunt frustra: neque nobilissimam omnium creaturarum fine deteriore ceteris Deus creavit. Si intendisse ais, ut staret, falsitatis te convincit ipse eventus, est enim homo revera lapsus. Ut ergo laberetur, Deus intendit: quod & factum novimus.

Respon.
breviter de
fine crea-
tum. ex
Catechis-
mo.

Catech.
resp. 6. Vi-
dendi In-
terpretes
Catecheti-
ci ibid.

ORTHOSOPH. Possem hic rursus ex te querere, ubi locorum ista in S. Scriptura legeris? Ego adhuc nuspianam notavi, Deum lapsum Adami intendisse. Tu me, ubi poteris, docebis. Cæterum de fine, quem in creando Adamo Deus sibi præfixum habuit, nunc non puto commodius tibi (si fortè volens oblita sis) responderi posse, quām verbis istorum, quibus te tuosque meritò plurimū deferre scio, hisce scilicet: hoc fine conditum esse Adamum, ut Deum creatorem suum rectè agnoscet, ex animo diligenter, cum eo beatus in eternum rireret, idque ad eum laudandum & celebrandum. Vides, quo fine Deus hominem condiderit? Hic sanè non discis, cōditū esse ut laberetur, sed ut in integritate cōsistens, beatus & felix perpetuò maneret. Hoc longè, credo, abest à tua imaginatione.

PROPET.

PROPET. Ostendam ego tibi, quām procul ipsa ab sis à fano iudicio. Dicis intendisse Deum, ut Adam integer staret, & perpetuā felicitate frucretur, utque Deus se ei perpetuō communica-ret. At hoc vanum esse, vel ex Eventu liquet. Si enim Deus intendit, ut Adam staret, nec Adam stetit, constat irritum fuisse Dei conatum, & intentionē frustraneam: ac per consequens, Deum non esse, *Omnipotentem*, ut qui, quod efficere intendit, effectum dare non potuerit.

Al. Instant,
ab everfir-
ne Omnipot-
entiae
Dei sum-
pta.

ORTHO SOPH. Sic nempe formas argumentum:

Responf.

Quicunque vult & conatur aliquid efficere, neque tamen id affequitur, is non est Omnipotens.

Deus conatus est & voluit efficere, ut Adamus integer staret, nec tamen id affecutus est.

E. Deus non est omnipotens.

Respondeo: ut futilitas collectionis tuæ melius constet, primò suis & proprijs verbis omnibus enuncianda est, hoc modo:

Qui adhibitis universis viribus suis præcise aliquid vult & co-natur, nec tamen id affequitur, is non est Omnipotens:

Ad Deus adhibitis universis viribus suis præcise aliquid hac in re conatus est, nec tamen affecutus:

E. non est Omnipotens.

Hic falsam esse Assumptionem lubens ipsa, puto, fateberis. Et ob id etiam malè *de omni voluntate Dei* argumentum tuum id generaliter afferit, quod tantum *de Absoluta & efficaci rerum est*. Nisi dicere malis, omnem Dei Voluntatem esse absolutam & efficacem. At sic manifestæ falsitatis te arguet plurimis locis S. Scriptura: ut quæ passim apertè testetur, Deum quædam sub condicione tantum velle, & quidem sub conditione planè contingente, seu libero arbitrio nostro permitta: eaqué non existente, Deum efficere id nolle, quod alioqui facere serio decreverat. Cui sententia si locum dederis, & nihilominus sequelam tuam tutari perrexeris, tandem tuo ipsius sophismate irretitum te senties: quia hoc pacto validissimè convinceris, teipsam Deum impotentem statuere. Quod facile probabo, si rem urseris. Itaque voluisse Deum, ut Adamus integer staret, verum est: non voluisse etiam ut staret, verum itidem est aliquo modo. Illud, respectu Legillatoriaæ voluntatis ac Præceptivæ, quā serio obedientiam ab Adamo exegit, sed liberè tamen præstandam. Hoc,

Non omnia
vult Deus
voluntate
Absoluta
& efficaci.

respectu efficacis ejus absolutæque voluntatis, quâ potenter statim efficit, quicquid vult. Etenim per absolutam potentiam non voluit impedire liberum istum Adami actum : sive non voluit per omnipotentem aliquam actionem efficere, ne liberè posset agere is, cui indifferentem ad utrumque oppositorum voluntatem dederat. Quin contrà jam decreverat lapsum istum permettere, sive non impedire, siquidem homo sponte sua prolabi vellet. Quod ipsum Decretum cum altero illo, de viribus omnibus ad impediendum hunc lapsum adhibendis, stare non potuisse, nimis certè manifestum est. Iam si Deus per Absolutam potentiam suam hîc agere non voluit, cum alioqui posset, ejus sanè Potentia non tollitur, si id fiat, quod fieri Legislatoriâ illa voluntate non vellet. Et hoc adeo verum est, ut etiam homines sëpe, salvâ interim imbelli potentia suâ, quædam serio velle videamus, quæ tamen ob causas alias reipsa non faciunt. Nedum de Deo illud certum sit, qui gravissimas omnino habuisse causas credendus est, quòd Adami lapsi Omnipotentem suam inhibitionem non opposuerit. Tantum tamen peccato isti opposuit, quantum convenire noverat & Iustitiae, & Sapientiae suæ: quodque satis esset evitando lapsi, nisi homo sponte sua fibi defuisset. Hisce igitur sententijs si sperat Cliens tuus posse Omnipotentiam Dei everti; nempe, si dicam, Deum intendisse statum Adami integrum, quem tamen affecitus non sit, eo quòd ille contra Dei voluntatem nihilominus ceciderit: dicam scribat Magistro suo, qui reipsa idem scribit; aut saltem operam det, ut sine antilogia illum excusat, meos accuset. Subjicio nunc tibi unum alterumque exemplum sophismatis, tuo paris per omnia; sed quod in te tuosque statim recidat:

1. Qui hominem ratione & intelligentiâ exornatum eo fine producit, ut sanctam & honestam vitam colendo ad propositum beatæ immortalitatis scopum tendat, nec id tamen sequitur, is non est Omnipotens:

Deus Adamum, cæterosque homines, ratione & intelligentiâ præditos eo fine produxit, ut sanctam & honestam vitam colendo ad propositum b. immortalitatis scopum tendent, nec tamen id affecitus est:

E. Deus non est Omnipotens.

Item aliud:

Qui

Qui homini præceptum dat non alio fine, quām ut sua sorte contentus homo (Adam) se improba cupiditate altius non efferat, nec tamen illud assequitur, is non est tibi Omnipotens:

Deus Adamo præceptum dedit non alio fine, quām ut ille sua sorte contentus se improba cupiditate altius non efferet, nec id tamen est assecutus.

E. Deus non est Omnipotens.

Hæc ex alio, iū idem tuo, fideliter desumpsi.

Et tamen Cliens tuus non putat Magistrum illum suum in Dei • Omnipotentiam impingere, sed fortè in Iustitiam tantum, de qua pluribus infra. Ecce autem tibi & tertium, Dilemmatis judicio conclusum:

Deus per efficacem & absolutam voluntatem (nam aliam tui plerique non noverunt) aut voluit ut laberetur Adamus, aut ut non laberetur:

Si voluit ut laberetur, & ipsum offenderet, quā bonus esse potest qui efficaciter & absolutē vult malum?

Si voluit ut non laberetur, quā dici potest juxta te Omnipotens?

Viden' quō excurrat in hoc negotio Voluntas tua Efficax & Absoluta? nec (me quidem judice) ex hisce absurdis te facile expedes, nisi concedas, Deum creando hominem, & legem ei ferendo de obedientia præstanda, nec lapsum, nec statum (ut sic dicam) præcisē, nedum per irresistibilem suam Omnipotentiam, intendisse in ipso efficere: sed in potestate hominis liberā utrumque voluisse relinquere. Hoc est, voluisse Deum permettere, ut si vellet homo, staret, si contrā vellet, caderet. Quod velim non mihi, sed Sacrae Scripturæ, cuius dicta mox citabo, simpliciter credas. Iam si Deus non voluit hīc agere per absolutam potentiam, cum alioqui posset, an putas verè dici. Potentiā ejus tolli, si id fiat, quod certā quadam voluntatis specie fieri non vellet?

PROPER. At illa *Permissio* tua, quam somnias, te non extricat. *Dando enim non permittimus, sed efficimus.* Deus ergo dando (dedisse autem negare non vis:) liberam agendi facultatem, non permisit, sed efficit, aut efficere voluit aliquid. Præterea utraque Voluntas, Effectiva scilicet, & Permissiva, hic concurrunt, & sibi invicem subordinantur. Ergo non est quoddam solam Permissionem urgeas.

ORTHOSOPH. Perplexè & obscurè etiam hīc tua tradis. Quid *enim istud: dando non permittimus, sed efficimus?* An hoc vis? *Dando non*

2.
Zeg. in L.C.
p. 238. in
hunc finem
conditus est
homo, ut
Deo tanquam
summo bo-
no adhære-
ret.
Cal. Inst. I.
c. 1, l. 4.

Effectus ex
re data, seu
concessa,
pure dando
non cau-
taur; sed
pendet à li-
bera Vo-
luntate
utentis re
cepit.

do non permittimus, id est, dum datus, non permittimus alium
de dari, sed efficaciter damus. Verum quidem hoc. Sed ipse tam
men effectus (de quo solo disceptamus) qui postea ex re, ab alio
data, immediatè efficitur, pure dando causari non potest, ut qui
adhuc à libera voluntate ejus, cui quid datum est, dependet.
Verbi gratia: Deus dedit Adamo facultatem standi, & labendi.
Hanc facultatem non potest Deus dici permisisse dari, sed actu
deditis, h.e. effecisse ipsam dationem. At verò Deum, dando fa
cilitatè & labendi, & non labendi, simul etiam effecisse lapsum,
& non permisisse tantum, planissimè falsum est: quia lapsus nec
datoris, nec rei datae, sed accipientis tantum, & quidem liberâ
voluntate abutentis, effectus est, liberè nimirum determinantis
rem datam ad talem finem. Et sic, velis nolis, culpam lapsus in
solam hominis voluntatem, non in Deum, derivare cogeris. In
terim non nego, valere suo loco, & concurrere in hoc negotio
posse, voluntatem Dei utramque, Effectivam & Permissivam.
Illam, respectu hominis creati, idque primò & per se: Hanc, se
cundariò & consequenter, respectu peccati. Veruntamen hæ
species & modis agendi, & objectis, valde differunt. Effectiva
enim facit hominem, & quidem bonum, ac verè liberum: Per
missiva autem peccata, quæ liberè fiunt, ab illo fieri permittit.
Itaque hic etiam vides, non eodem modo Permissivam Volun
tatem causam esse peccati, uti Effectiva est ipsius Adami, ac li
beræ voluntatis ejus: & proinde in vanum te laborare, dum ex
nuda permissione peccati, quam ego cum orthodoxis statuo,
putas Deum culpæ alicujus argui posse, uti potest ex tua efficaci
motione, & decreto absoluto: quæ tui clientes subinde pro
permissione substituere perquām absurdè solent.

Latus agi
tur de Per
missione, an
ca sit aut
esse possit
causa mali
actus,

Amplius autem vide, quām malè nobis hic effectivam permisso
nem fabrices. Si enim Permissio efficit objectum suum, sive id
quod permittit, etiam paterfamilias efficit prodigalitatem im
morigeri sui filij, & quilibet superior sui inferioris, dum permit
tit ei rem suam profundere. Quod falsum esse omnes novimus.
Cū ergo ne in humanis quidem rebus sententia hæc simplici
ter vera sit, quanto minus id de Deo arbitrabimur? Imo verò
Permissionem Dei non fuisse causam cur Adamus rueret, ex ipsa permis
sionis generali natura, adfirmo religiosissimè. Etenim si nulla
Permissio per se est causa peccati, profectò nec permisso Dei
peccati

Verba sunt
Fr. Iunij
de Prim.
Pecc. c. 2.
q. 2. p. 121.
ad 125.

peccati causa futura est. Constat autem , nullam permissionem per se causam peccati esse. Ergo nec Dei. Permissionem ullam non esse peccati causam , natura ipsa (rei propositæ) docet manifestissimè. Ex definitione enim rei (Permissionis) justaque ratione illius est, ut duo agentes concurrant, is qui permittit, & is cui permittitur ; quorum prior inhibendi potestatem habet, eaque utitur, cum vult: posterior agendi potestatem habet, eaque utitur cum ipsi permittitur, ut agat potestate sua. In utroque est actus voluntarius. Nam nisi (*in agente*) voluntarius esset, peccatum non esset : quia peccatum omne actus voluntatis est. Qui permittit, permittit voluntate: & qui agit ex permisso, voluntate agit. Sed qui permittit, agit interno voluntatis actu (quo nempe secum statuit, non inhibere alterius actum , sed sinere existere.) Sic enim vult permittens illud : vult (*inquam*) non agere in eo cui permittit. Is verò cui permittitur , vult & foris agere voluntate propria , & quasi vinculis solutâ permittentis. Vtrius ergo voluntatis est peccatum Adami ? an etiam utriusque illius adscribenda causa ? (Nam de bonis actionibus nulla hic est disceptatio:) Certè utriusque causa tribui non potest, quia permittenti non convenit. Solius autem voluntatis agentis peccatum fuisse, tanquam principij singularis interni , quo agebat Adam , nemo usque adeo impius est , qui negare audeat. Factum enim Adami fuit, & à propria liberaque ejus voluntate, ut causa efficiente, factum hoc profluxit, eoque peccatum, quia voluntarium. Sed qui hujs facti culpam aliqua saltem ex parte deonerasse cupiunt in " Permissionem Dei, non solum impiè faciunt, verùm etiam naturalem oppugnant Rationis lucem. Audi rationes aliquot : *Ratio prima*. Quisquis, quod non debet, agit, aut non agit, quod debet, NB. is demum peccat. Deus permissione in neutrum incidit : non igitur peccat, nec peccatum causat. Certè si permittit, quis eum propterea jure possit evincere peccati ? Nihil enim debet cuiquam : iniquè ergo dicetur agere , quod non debet , aut illud quod debet, non agere. Adamum permisit peccare, qui non debuit impedire : peccavisset autem, si debuisset impedire, & non fecisset, quamvis potuerit, &c. *Secunda* : Omne peccatum , & omnis actus vitiosus, suscipit necessitatē vitij à *cansa* solum proxima " (nota : nam hæc primariam tui clientis Thesin evertunt) non à " superiore ulla , nedum à *suprema* causa atque universalissima , ut vo-

Thesis Vr-
bani de
permis-
sione &c. pro-
lixè refelli-
tur.

1.

2.

Vid. etiam
August. de
Civit. l. 14.
c. 13.

Cōsona his
tradūt Cate-
chistae in
Comment.
n. Quest. &
Ref. 7.

- cant. Proxima autem peccati causa per se est Voluntas sola peccantis. Non ergo à suprema causa, permittente scilicet, est peccandi necessitas. *Tertia:* Quid? quod ne quidem causæ adjuvantes, & a gentes aliquo modo in peccante, ipsum à peccato liberant, quin voluntas ipsius sola per se sit causa peccati? Diabolus consuluit, Adam peccavit: Adam tamen est peccator per se voluntate propriâ, ut principio interno, causaque peccati proxima. Quod si peccatum Adami, Adami est, nec peccatum Diaboli appellari potest, qui consilio & sollicitatione impiâ in Adamo egit: quomodo, obsecro, peccatum Adami à Deo esse dixeris, qui non egit in peccato ejus, nisi quod fieri id permisit, & bonum in finem direxit? *Quarta:* Si Adamo causa peccati fuit propria & per se voluntas ejus, quamvis agente apud ipsum Diabolo, certè Deus non potest cum ratione dici causa peccati ejus, tantum eo nomine, quia non egit, ne peccaret Adam: Cum ille ipse, qui egit ut peccaret Adam, causa peccati ejus per se non possit appellari. Nam si noluisset Adam, non peccavisset, voluit autem voluntate liberâ, à Deo quidem permisâ, à Diabolo verò immisâ, per modum consilij, ruere in peccatum: peccavit igitur non Deus, sed solus homo causâ & principio interno suo. *Quinta:* Postremò, qui actus permittuntur, ij ab agente perficiuntur, non à permittente. Lapsus Adami & peccatum ejus à Deo permisum est: Ergo à Deo non est profectum, aut perfectum, sed ab homine tantum agente. Adjicam verba Fulgentij: Sicut peccatum in Deo non est, ita peccatum ex eo non est: quod autem ex eo non est, opus ejus utique non est. Quid ergo Deum illum O. M. operis nostri, non sui, accusamus?

Hæc jam olim tibi, tuisque circa divinam Permissionem cavaillationibus, per hunc utrumque militem meum opposui. Tu, nisi crudum habes stomachum, da operam ut concoquas. Sed, quæ tua est audacia, fortè & hunc & illum *Rationalem*, id est, stolidum dices: quandoquidem è diametro tuæ intentioni uteisque repugnat, inque hac materia à Recta Ratione nonnulla argumenta deducit, quibus theses tuæ (scil. Deum etiam permettendo posse dici causam peccati Adamici) falsitatem sollerter probat.

Instans. alia
per Proleps.

Verum, inquis, cùm Deus non sit consecutus, quod permettere intendit, nempe, ut staret Adamus, omnino sequitur, non esse omnipotentem, & Permis-

Permissionem lapsus merè lutoriam : ideoque hic unicè spectandum est
arcānum & efficax illud decretum & consilium Dei , cuius vi Adamus
corruīt , omnesque posteros suo lapsu in ēternū interitum traxit.

a Cal. ad Cz
lum. Neobul.
art. i.

Mirum , quo cerebro disputes . An Deus non est consecutus
id ipsum quod permettere intendit , ac re ipsa permisit , nempe ut
staret (modò ipse liberè vellet) Adamus ? Nequaquam , ais : Ce-
cidi enim Adamus . Sed hoc ipsum cum permissione , & per-
mittendi intentione , ut staret Adamus , optimè convenit . Nam
dando libertatem ad utramque partem , permisit certè utram-
que . Qui enim vult permettere , ut sit Adamus , vult etiam per-
mittere ut labatur . Sive igitur labatur , sive sit Adamus , fit id
quod Deus permettere vult , id est , permittitur fieri , quod liberè
vult facere homo . Nec tamen nego , intendisse Deum etiam ali-
quo modo efficere , seu procurare , & re ipsa curasse , ut staret
Adamus , id est , omnia fecisse , quæ fieri & adhiberi æquum erat ,
ut ad obedientiam jam liber à se creatus homo induceretur .
Dedit enim præceptū , & vires huic parendi , adjecit minas , &c .
Veruntamen hoc ita intendisse , & curasse Deum affirmo , ut sal-
va semper maneret tum propria Legislationis & præcepti sui
natura , tum hominis libera voluntas . Si tu ista à Deo adhibita
ad lapsum cavendum non suffecisse dicis , cum Deo litiga , ut
qui omnino suffecisse , tum verbis , tum factis , apertissimè osten-
derit .

PROPET . Ista suo tempore expendam : Interim pro sententia
mea firmando ratio alia in medium adferenda est . Negas tu
quidem præfracte , Lapsus primi autorem esse Deum . Ego verò
adducor etiam hac ratione , ut credam : quia Adamus à Deo , ut
causa secunda à prima , necessariò peperit ; eoque non potuit Ada-
mus desicere , nisi ubi prima causa (nempe Deus) in eo operari prior de-
fit : ita ut si aliquis in ipso defectus fuerit , is ad causam primam referri
debeat , quippe quæ , antequam ita Adamum , ut actu staturus esset , per-
fecisset , operari desit . Effectus causa Adami prima , ut stare posset Ada-
mus , & stare potuit : effectus ut posset velle stare , & velle stare potuit . Sed
eadem hæc causa operari desit , & non effectus , ut staret actu ; sicque de-
ficit Adamus , & actu non stetit . Debuerat omnino prima causa (Deus)
si ex animo voluisse , ut effectum suum actu staret , id ipsum statrum actu
producere . Atque ita frustra prætendisti defectum causa secundæ , qui
quotiescumque nascitur è prima , non tantum eam ex numero causarum non

Permissio
stationis cù
lapsu bene
convenit.

III. Ratio à
Desertione
divina,

Tap. A. 6.a.

eximit, sed ne à culpa quidem liberat; in rebus scilicet ad te pertinentibus, quæque magis sunt tui judicij, quam Deus, ejusque justitia, justitiaeque modus. Porro quod de minis homini propositis alicubi dicis, id ad rem non facit: nam ne per illas quidem prima causa efficit, ut effectum suum actu staret.

Responsio.

Quomodo
Adam à
Deo totus
pependit?

Quomodo
non?

De quo
motu seu
impulso hic
disputatur?

Queritur,
An desertio
illa Adami
poena sit, an
præmium?
Et si Poena,
cujus Peccati
poena?

ORTHOSOPH. Ad desertionem hanc Adami, seu mavis defecatum primæ causæ, ordine certo, quem verba tua ferent, aliquid jam mihi dicendum, & de præcipuo rei cardine respondendum est. Primo non est quod dubites, me fateri, Adamum à Deo in universum pependisse, nempe hoc modo, ut non potuerit aut existere, aut existens quicquam agere, nisi creatio, & dein conservatio divina accederet, immo præcederet. Providentia enim Dei planè subjectus fuit, quæ efficaciter eum sustentavit, & in omnibus actionibus sapienter gubernavit. Sed quod in universum ita pependerit à Deo, ut post concessam liberè agendi facultatem, etiam motus intrinsecos regere, & liberè determinare non potuerit: sed semper & in omnibus, etiam ad malum perpetrandum, nova desideria motusque speciales, à Deo expectare necesse habuerit, & re ipsa sibi à Deo impressos senserit, equidem non credo. Si enim ad singularem actionem illam vitiosam, puta peccatum, enthuſiasticus aliquis motus à Deo illi fuit immisſus, adeo ut non potuerit ex interno liberè agendi principio, & viribus jam liberaliter indultis, illum evitare: quomodo, quæſo, non constituetur Deus unica, saltem vera, & quidem princeps, hujus mali causa? Maximè si addatur, hominem, etiam quoad illam actionem, ita à Deo in universum pependisse, ut eam nunquam commissurus fuerit, nisi eum Deus efficaciter & irresistibiliter hoc movisset. De Permissione peccati, quam tu rides, nihil hic disceptamus; sed de impulsu interno & energetico, quo ad flagitia hominem agi (Adamumque in lapis actum fuisse) tu ais, ego nego. Quod præcipuum hujus loci *κερδόντων* esse constat.

Iam quod ad ipsam Dei desertionem, sive ab operatione circa hominem cæſationem, attinet, primum quæro: Vtrum desertio, qua Deus vel concessam homini gratiam subtraxit, vel amplius in eo operari desit, Poena sit, an Præmium? Hoc esse non dixeris. Ergo illud. Iam si poena est, quæro secundò, Ob quod peccatum ea sit inficta Adamo? an ob commissum, an verò

verò ob adhuc committendum? Ob antegressam inobedientiam id factum dici nequit, quia nulla præcessit. Ergo ob peccatum committendum. Quod quām ruinoso vereque antiphatico fundamento nitatur, facile apparet. Disputant enim tui sectatores, Æternæ Reprobationis, sive Prædamnationis, causam esse nullam aliam, quām nudum & absolutum Dei beneplacitum: unde tandem peccata, tanquam vera & necessaria effecta, suam originem habeant. Cum ergo desertio divina committendorum peccatorum causa sit, manifestum fit, non Adamum, sed Deum, primam in illo malæ voluntatis causam existere. Quod si desertionem hanc poenam esse negas, iterum quārō, quid igitur sit, aut fuerit? Quārō etiam, quomodo Deus homini defuerit, & in ipso operari desierit? Anne removendo gratiam, quam prius ad rectè agendum, inq̄e rectitudine subsistendum, sufficienter ei dederat? An speciale ac novam majoris confirmationis gratiam non dando? Si illud dixeris, incurres in prioris Questionis difficultatem, nempe, cur Adamo deesse voluerit? Num quia peccatore (ut quidam tuorum, contra expressum Dei verbum, scribere non erubuit) opus habebat? Atque interim ego, ut Scripturæ testimonia producas, urgebo, quibus doceatur, Adamo concessam in creatione seu naturam, seu supernaturalium donorum gratiam à Deo ablatam fuisse, ante ullum ejus meritum aut culpam. Præterea intrepide dicam, omnino falsum esse, nec aut Scripturâ, aut legitimis rationibus confirmari posse, ante lapsum concessionem donorum subtraktionem aliquam à Deo factam est. Denique opponam tibi Catholicae Theologorum sententiam, quā traditur, Per & propter lapsum deperdita esse Dei dona. Et illud Augustini: Lapsus causam esse desertionis, non verò desertionem lapsus causam esse efficientem.

Ostendo igitur, ex ista tua (si Deo placet) modestia, Sapientiam Dei reip̄sa negari ac destrui, hac collectione:

Qui efficaci & absoluto decreto alicui necessaria ad vitam ornamenta & dotes largitur, & alio simili decreto aufert, is sibi contrarius, ac per conseq. insipiens est.

Deus tali decreto Adamo (& in eo universæ naturæ hominis) Calv. instit. l. 2, c. 1, f. 7. ornamenta & dotes ad vitam necessarias dedit; eademque mox simili decreto abstulit, secundum tuum istum clientem.

Piscat.
cont.
Schaaf.
thes. 35. p.
nu. 182.
vol. 2. Theol.
in 8. Ann.
1607.

Mart. in
2. Sam. c. 16
& 3. Iud.

Tapeino-
phrof. sen-
tentia pug-
nat in Dei
Sapien-
tiam.

Ergo Deus &c.

Obserua autem, in Majore me tale Dei decretum intelligere, quod absolutè citra cuiusquam meriti, aut peccati, respectum ab æterno factum sit. Alias enim scio, sub conditione fidei & obedientiæ alicui bona caelestia decerni, quibus tandem ob incredulitatem & inobedientiam suam (prout altera decreti pars exigit) carere cogitur. Vbi decretum utraque ex parte cōditio-natum esse constat, neutrū verò absolutum.

Deum non
defuerit
Adamo nō
dum lapso
probatur
teft.

Zanchij, de
Op. Vr. l. 3.
c. 2, part. 3.
pag. nu. 875
col. 1.

p. 395.

Para in Ca-
tech. Vrs.
p. nu. 41.

Instan. de
non data
plena Gra-
tia Confir-
mationis;
unde infer-
tar, non ex
animo vol-
Deum, ut
Adam fa-
ret.

Respond.
isto pacto
Deo impin-
gi hypocris-
ta.

Porro quām non defuerit Deus Adamo nondum lapso, velim vel extuis Primitilis (namque me non audis) humiliter, si forte velis supercilium aliquando mutare, discas. Supernaturalem quen-dam Sp. Sancti splendorem, instar solis desuper irradiantem, Deus Adamo superaddidit; cuius auxilio in sua integra natura, sanctitate, & innocentia perseverare, Dei, voluntati in sempiternum obtemperare potuisset, si voluisse: ut autem vellet, in ipsius relictum erat potestate, liberoq; arbitrio. Iterum: Non deerat Adamo adjutorium, seu gratia Dei, qua reipsa posset, si vellet, in sua bona integrā natura perseverare, ut nunquam esset malus. Et alibi: Gratia Dei non defuit Adamo, quā posset, quicquid boni vellet. Data ergo fuit ista, ad standum omnino sufficiens, gratia, ut posset, si vellet, non peccare. Et hoc ipsum satis superque ab omni culpabilī defectu, eoq; à culpa, Deum liberat.

Obiter etiam notes, quæ Cliens tuus hic Tapeinophrosynæ tribuit, de divina desertione loquenti, ea Rationis humanæ (quam ille tantoperè exagitat) objectiones aut sophismata esse, eiq; tribui à suo quodam magistro. Vnde consensus tuorum satis elucet.

PROPET. Quæ dixisti, scio & probbo pleraque: sed de ipsis hic potissimum non quero, nec ea urgeo: Verum de eo, Annon, cum Deus alteram gratiam, quā actū staret, non dederit Adamo, lapsus omnino causa sit? Non enim satis est dare, ut velle possis, sed dāndum est ut actū velis. Itaque jure tibi denuo repono, quod antè intuli, non ex animo voluisse Deum, ut Adamus (ef-fectum scil. Dei) actū staret, quia non actū stantem, & actū staturum, produxit.

ORTHOSOPH. O Fidem! annon hoc est palam hypocritam ex sincerissimo & irreprehensibili Deo facere? Qui enim seve-ram lapsui avertendo legem ponit, lapsō certissimum exitium addicit: parenti autem ineffabilia bona promittit; nec tamen obse-

obsequium ex animo vult, sed absq;ulta potentique voluntate prævaricationem intendit, hypocriseos certè notam effugere nequit: ut qui aliud præ se ferat verbis, aliud animo occultet. Impudens in Deum & manifestaria istæc blasphemia est. Re-torqueo autem hoc clientis tui argumentū hoc modo: Si Deus ^{Retorfo a-}
ex mero beneplacito & absoluto decreto, id est, *ex animo, inten-*
dit creaturæ suæ lapsum, debuit omnino ista, quæ speciosa tan-
tum ex tua sententia ludibria sunt, prorsus omittere: id est, Le-
gem illam Vtantem, Voluntati suæ internæ * contrariam, non
ferre, minas non addere, bona item quæ datus non erat, non
promittere. Cùm verò hæc omnia, exertè attestante Scripturâ,
(quod de illa præcisa intentione lapsus nunquam aut nusquam
facit) Deus egerit, certum est, non absolute alterutrum inten-
disse; sed cum obedientiæ tantum aut inobedientiæ condicio-
ne, qualem liberæ, creaturæ liberè præstandam meritò præ-
scripsit.

Neque verò frustraneum est, prætendere hic spontaneum
defectum secundæ cause: quippe cuius in malo, sive peccato,
effectus nec peperit, nec prodijit, à prima & universali causa;
sed immediate & propriè, nempe quâ actus vitiosus, duntaxat ^à
secunda: uti abundè suprà demonstratum eit.

Deum porrò non sic liberari à culpa, plusquam falsum est. Si
enim culpandus non fuit, quod olim, cum omnia vinea suæ fe-
cisset, quæ ad fructus ferendos requirebantur, illa tamen pro-
prio vitio ac defectu, spei non respondens, pro dulcibus uvis la-
bruscas proferret: quanto minus id licet in peccato Adami: ^{Esa. 5. 3. &c. seqq.}
Administravit utique Adamo omnia media, & necessaria & suf-
ficiencia, ad perseverandum in innocentia, prout noverat sua
Sapientia convenire. Quod autem ille non perseveravit, non à
carentia Gratiae est, sed à nolentia hominis (ut sic loquar) seu à
neglectu libero usus istius gratiae. Adamus enim potuisset per-
severare, si voluisset: quod ut nollet, de libero ipsius descendit
arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset & ma-
lè. At debuit, inquis, Deus impedire lapsum; At hoc falsum est,
inquam ego. Debuit autem impedire homo, cum jam satis illi,
ut impedire posset, à creatore esset datum: & hoc obedientiæ
erat officium, quod ab homine exigebat supremus atque opti-
mus Dominus. Ne igitur impactum velis crimen Deo, quod ho-
minis

* Nam lex
obedientiæ
voluntas ef-
ficax inobe-
dientiam
intendit.

Deus, à sua
parte pre-
stitit Ada-
mo, quod
futiceret
avertendo
lapsu.

August. de
Cor. &
Grat. c. 11.

Object. alia.

minis proprium est: cum ille præstiterit, quod debuit: hic, quod debuit, & potuit, sponte sua omiserit.

Minæ Dei
non fuere
frustanca.

Minas etiam Dei ad rem non facere putas. Credo, si intelligas, minas jam efficere non posse, ut qui lapsus est, lapsus non fuerit. At revera ad rem faciunt, h.e. ad lapsum cavendum, ante peccatum peractum. Quot enim, quæso, hominum sunt, qui minis & formidine poenæ à sceleribus desistunt: non destituti, si nullibi tales extarent minæ divinæ? Sanè illas deterrendi fine Adamo propositas credo: quod autem re ipsa illum non deteruerint, soli Adamo, non Deo, imputandum esse scio. Si tu contra prolatas à Deo tantum dicis causa sentis, & vano fine, proba dictum ut decet, & tum demum tibi accedam.

Quorūm
ita effugia
& Iudibria
Tapeino-
phrosynes
spētent.

Verum in summa, huc redeunt tandem omnia ista κρησφύγεται, & cavillationes tuæ, ut Delirium tuum, quod defendendum suscepit Cliens tuus, rectè cum multis alijs tui ordinis docuisse creditatur, plusquam temerè afferens, Deum autorem esse omnium quæ sunt, etiam peccatorum, ipsiusque Adami ruinæ. Quam thesin, ut fundamento impiam, & fructu abominandam, quantumlibet quæfitis undique pigmentis ornetur atque incrustetur, ego ex animo horreo atque detestor, & Bono Deo freta perpetuò meis cultoribus cavendam & detestandam proponam. Hęc ad tertiam tuam rationem volui.

IV. Ratio,
ab Imper-
fectione
Adami.
Tap. A. 7. a.

PROB. Sed nondum defuncta es: restat enim alia, quæ superioribus nec acumine nec valore cedit. Cùm enim non produxit perfectiorem Adamum Deus, nec plura ejus perfectioni addiderit, quæ ad actu standum requirebantur, negari non potest, quicquid imperfectionis in Adamo fuit, à Deo autore fluxisse. Quod quidem ita esse, comprobatur tum cibi & potus indigentia, quo ad corporis sustentationem: tum mutabilitate, seu vertibilitate voluntatis ad utrumque oppositum: quæ ab homine abesse oportebat, si numeris suis absolutus & perfectus haberet, inque statu integratatis consistere debebat.

Respon.

Gen. 1. 31.
Deut. 32. 4.

Ecclesi. 39.
22.

ORTHOSEOPH. An frustra divinavi, Momum me hic auditaram, qui divinissimum Dei opus imperfectionis argueret? Satis apparet, quād tu Propeteia sacri verbi parum tenax sis. Hoc de omnibus Dei' creaturis dicit (ideoque & de homine) quod fuerint valde bona. Item, Dei perfecta esse opera. Et: Opera Domini universa bona valde. Ergo & alibi Adamus, quæ opus Dei fuit. Quid hic ergo

ergo aliud Cliens tuus agit, quām quod in os responsat Spiritui sancto? Vtiam illi laborem hunc suscipere libeat, & locum educere ex toto codice sacro, qui dicat, Adamum pro statu suo imperfectum, aut non satis perfectum, conditum à Deo: quod si queat, ego lauro coronandum censebo. Solis ejus verbis credere nefas mei putant, idque jure. Vbi verò imperfectionem in Adamo, si quis fortè querere instituat, tandem inveniet? In corpore? an in anima? Si in corpore, qualis fuerit egentia cibi & potus, aut rerum similiūm, ea in vitium trahi non potest, nec aut peccatum, aut peccati effectum est, aut denique causa efficiens. Nisi quis fortè credat, Adamo peccandum ideo fuisse, quia cibo potuque eguit, quod certè ridiculum. Itaque de ista (si ea fuit imperfectionio) hic non agitur. Si in Anima ponendam tu ducis, falsitatis arcessent te illi ipsi, quos in delicijs habes: qui cùm ingentia illa & Naturæ, & Spiritus sancti dona commendent, nullius sanè imperfectionis labe contaminanda censem.

Vbi imperfectionio in Adamo qua-
rendat

Vid. Zanch.
de Op. Cr.
I.3. part. 3.
c. 2. Thet. r.
& d. Itam
Calv. Instit.
Vrsin. Cas-
tech. alioq;
plures.

An Mutabi-
litas fit im-
perfectionis?

At in Voluntate, inquis, imperfectio fuit; Mutabilitas nempe ista quam dixi. Sed neque hoc usquequa verum est, quod Mutabilitas omnis sit Imperfectionio. Ea enim si non plus, saltem æquè multum perfectionis habet, atque imperfectionis. Nam quandiu Adamus mutabilis fuit, nondum tamen in deterius actu mutatus, perfectus omnino fuit in illo quidem primo genere ac statu suo, & ob id Deo gratus. Quod etiam apparet in alijs rebus, maximè naturalibus. Arbor etenim perfecta (in suo genere) est arbor, etiam si putrefactioni, aut arefactioni, obnoxia sit. Et quandiu actu non est putrefacta, aut arefacta, bonam & perfectam dicimus. Idem obtinet in cæteris rebus. Distinguendum ergo inter Mutabile & mutatum; sive Mutabilitatem & mutationem, ut inter potentiam & actum: de quorum illo jam queritur, non de illa. A Deo est mutabilitas: Mutatio autem (qua est actio) ab homine. Illa peccatum, aut malum, neutiquam fuit; haec utique est in homine lapsu. Ut ergo causis differunt, sic & effectis, denique & rebus, & nominibus. Et ob hæc omnia malè Deus auctor mutationis insimulatur, qui tantum dici potest Mutabilitatis. Spero tibi haçtenus abundè satisfactum, si satisficeri tibi vis. An quid habes præterea?

PROPOSIT. Vnum adhuc circa hanc materiam movebo. Even-
tus enim docet, quod licet peccato fortè non delectetur Deus,

V. Ratio, a.
Evenctu.

lapsum hominis tamen omnino voluerit: nam si Deus noluisset, homo non peccasset. Tum, quia non prohibuit (h.e. non impedijt) cùm prohibere posset, constat eum esse aliquatenus autorem peccati illius primi.

Huiusmodi
Resp. extat
apud Vrl.
in Catech. à
Par. edit. ad
Quixit. 7.
Quærito 4.
p. 1g. 61.

OATHOSOPH. Sunt hæc inanijs ipfis inaniora, imò meræ calumniæ, & putida impiorum sophismata. Quod enim ad Eventum attinet, jam antè satis ostensum est, permulta sape aliter evenire, quam ferat sanctissima Dei voluntas, in præceptis & promissis revelata. Evidem posset Deus per absolutam suam potentiam prohibere malum: sed non vult, quia ordinem semel fanebitum mutare non vult, nec liberam creaturam suam & hominem sat iustum corrumpere. Agit verò cum homine humano more: proponit ei leges, proponit præmia & supplicia: jubet eum amplecti bonum, fugere malum, ad quam rem conficiendam nec gratiam suam negat, sine qua nihil possumus; nec diligentiam & laborem nostrum adsperratur. Hic si cesseret homo, peccatum & negligentia homini adscribitur, non Deo, licet prohibere peccatum absoluēt Deus potuisset. Non autem prohibuit, quia prohibere nō debuit, ne turbaret ordinem, & opus suum destrueret. Ergo Deus non est autor mali, seu peccati.

[‡] Et hīc cō-
trarijs frō-
tibus con-
currunt Ca-
techistæ &
Tapeinop.

Iam Scripturæ testimonia contra te colligemus: objectiones autem quasdam diluemus, veramq[ue] originem & fontem peccati aperiemus. Testimonia docentia, Deum non esse autorem peccati, & perditionis humanæ, sed ipsum hominem, plurima sunt, ex quorum numero duntaxat quædam proponere satis est.

^a Deus mortem non fecit, nec delegetatur vivorum interitu. ^b Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat. ^c Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, non habitabit tecum malitia, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. ^d Deus hominem condidit rectum: ipsi autem quæsiverunt adinventiones multas. ^e Per unum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors. ^f Novi quid non inhabitet in me bonum, h.e. in carne mea. ^g Concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus vitæ, non sunt ex patre, sed è mundo.

Ex his tandem concludimus, Deum non esse peccati autorem, sed originem mali ex ipso derivari homine, impulsore diabolo: sic tamen, ut simul dicamus, hunc ipsum initio sponte sua peccasse, nullo Dei instinctu, sicque corruptum, instinctu suo corrupisse hominem: nihil tamen in isto potuisse efficere, nisi sua.

^a Sap. 1.
v. 13.
^b Ezec. 18.
v. 23.
^c Ps. 5. v. 5.
^d Eccl. 7.
v. 30.
^e Rom. 5.
v. 12.
^f Rom. 7.
v. 18.
^g 1. Ioan. 2.
v. 16.

Vera origo
peccati
qua?

sua sponte in malum consensisset homo. Hic revocandus est in memoriam lapsus nostri patris Adami; cum omnibus circumstantijs suis. Condidit Deus Adamum ad imaginem & similitudinem suam, h.e. creavit rerum Dominum, eumque pro illo Gen. i.v. 26 statu optimum, & integrimum; instruxit eum donis præstantissimis, ut ad beatitudinem assequendam in Deo ipsi non deferset quicquam. Pollebat ergo homo intellectu planè liquido & q. divino: voluntas ipsi erat ut liberrima ita & rectissima: facultates habebat faciendi bonum & malum: data est ipsi à Deo lex, quæ quid jure ageret, aut fugeret, perspicue ostendebat. Dixit enim Dominus: Ne comederis ex fructu ligni scientiae boni & mali, &c. Postulavit igitur Deus simpliciter obedientiam ac fidem, ut totus homo penderet à Deo, idque non necessitate adactus, sed liberè ageret. Ab initio creavit Deus hominem, & permisit ipsum consilio ipsius, dicens: si voles, custodies manda ta & fidem, faciendo quod placet. Ergo cum Serpens hominem tentaret, suaderetque gustare de arbore prohibita: homo non ignoravit, Serpentis consilium pugnare cum mandato illo Domini, ne comederitis ex illa arbore, neque attigeritis: alioqui moriemini. * Ergo in manu consilij ejus erat edere, vel non edere. Declarat ei Deus suam sententiam, disertè præcipiens, ne ederet, & periculi ostensione retrahebat ab esu; ne forte moriaris. Satan quoque ut adhibere non potuit, ita nec adhibuit vim ullam: probabiliter autem malum * suasit, & persuasit. Inclinante enim mulieris voluntate ad verbum Diaboli, mens receffit à verbo Dei, rejectaque bona lege, malum opus patravit. Deinde maritum sponte sequentem traxit in mali consortium. Id inculcat Scriptura, his verbis: *Et videns mulier, quod bonum esset lignum ascendendum, &c.* Habes mali initium, Diabolum: habes, quid voluntatem hominis commoverit, falsum scil. Diaboli elogium, adeoque merum mendacium, & delectabilis arboris speciem. Sponte ergo faciunt Adam & Eva, quod faciunt, spe decepti excellentioris sapientia, quam mendaciter promiserat seductor. Concludimus ergo, peccatum non oriri ex Deo, nolente ac prohibente malum, sed ex Diabolo, & hominum libera electione, depravata per mendacium Diaboli. Ideoque Diabolus, & obsequens depravata hominis voluntas, causa sunt peccati verissima.

Gen. 2.v. 24
Ecclef. 15.
v. 14.

Gen. 3.v. 1.
& d.

* Hic adver-
fantur Ca-
techistes &
Piscator.

* Vid. Au-
gust, de Nat.
& Grat. c.

28. à Satana
veniente pri-
mam per-
cepati studio-
nem.

Id, de Civit.
I. 14. c. 12.

Diabolus
hominem
non cepi-
ser, nisi jam
ille filii ipsi
placere co-
piet.

Gen. 3.v. 6.

Hactenus ferè verba Catechistæ. Vbi etiam nonnulla alia sunt, quæ rectè & verè Tapeinophrosynæ tuæ, multum de labilitate, mutabilitate, præscientia lapsus, &c. in speciem querenti, & pomposè inferenti, opponi possunt: quibuscum, si ita visum, congregriatur Cliens tuus. Interea ego cum meis alicunde Cadmæos milites spectabo, donec sese mutuis vulneribus confiant. Quo quidem genere spectaculi, hactenus ab ipsis præbiti, non raro contingit frui. Velim autem, siquid amplius in hanc sententiâ adferre cupias, id explicatè & sine captionibus facias.

PROPER. Nunc quidem nihil addam, sed prope diem efficiam, ut, quæ fœcunda subtilium imaginationum capita Clientium meorum excogitabunt (stimulum autem addam Tapeinophrosynes genitori, ne se victimum fassus, spinosè tricari, & molestiam tibi arguendo creare desinat) ut, inquam, illa idonea ad firmam-dam thesin meam, *τῷ Ιεζούστου εντός*, esse sentias.

De Deo pec
catum mo-
vente,

ORTHOSOPH. Vbi istorum quisquam novi aliquid attulerit, & blasphemiarum (quarum, proh dolor! tamen plus satis est) numerum augere perrexerit, novas etiam responsiones datum iri confide. Præmonere tamen illos te velim, ne phantasticis suis nænijs, ac sophisticis delirijs, rem porrò agendam sibi putent: sed, quod nondum hactenus (in hac quidem materia) faciunt, è liquidis Sacrae Scripturæ dictis principales theses, seu Problematum sua forment, atque à Recta Ratione desumptis argumentis dogmata sua propugnant: quod ubi instituent, brevi sibi herbam dandam intelligent.

Interim tu accuratè (atque utinam id in timore Domini facias) expende, quām pulchris encomijs Deum meum exornes. Huic, dum istum illumve *† ὑψηλογέρμον* *η βερεθύνον* purgare *† ἐπέων παρασέντων*, ac defendere absurdâ dogmata satagis, iniqua & falsa multa impingis. Alia multa hic sciens volens præterea: quæ Cliens tuus in Sophismatis suis & apertè & iteratè de Deo credenda propinat. Vide saltem hæc sequentia.

*† aliloquii
& superbo
fremen-
tum.
† verborum
volantium.*

Quæ elogia
Deo adcri-
bat Tapei-
nophrosy-
nos?

1. Impropiè Deum auctorem peccati dici posse, palam aper-teque contendit.
2. Propriè etiam re ipsâ, ex vi illius Maximæ: Causa causæ est etiam causa causati.
3. Defectum secundæ causæ (Adami) à prima causa (Deo) ortum ducere.

4. Non.

4. Non potuisse Adamum deficere , nisi Deus prior operari desifset.
5. Illius itaque defectum ad Deum autorem referri debere.
6. Noluisse Deum ex animo, ut Adamus actu sitaret.
7. Dicit etiam , Defectum hujus ex illo fluxisse : & tamen finit, se Deum nullius defectus accusare.
[Vbi insanam contradictionem notabis: Non accusari illum defectus, qui prior operari desit, & à quo defectus, ut à causa prima, existere dicitur.]
8. Quicquid imperfectionis in homine fuit, (etiam peccato-
sæ, ut sic loqui liceat:) id à Deo effluxisse.
9. Deū Adamo defuisse, non dando ei gratiam, ut actu sitaret.

Quasi nō satis fuerit dedisse, ut posset stare. Et quasi posterius donum , nempe irresistibilis perseverantia , non tollat id quod prius homini collatum fuerat , scilicet , liberrimam agendi potestatem. In his latet *Mysterium iniquitatis*, cù tendens, ut Deo culpa lapsus tribuatur. Has laudes, Scripturā scilicet dictante, Dco dare didicisti : quibus adversa encomia, in Verbo Dei fundata, & à pura antiquitate comprobata , propagari à verè pijs divini numinis cultoribus haec tenus vides. Hæc cine prima Theologiae tuæ principia sunt? *Dij talem terris arerite pestem*. Et jam ut averteret Christiana Antiquitas, palam ista dogmata, iustisque consimilia , pro *Præcipitijs exitialibus* cavenda diligenter olim monuit: deinde etiam Catholica Ecclesia , ut salutari doctrinæ contraria, concilijs aliquot rejicit, ac damnavit : quod non ita pridem ego irrefutabiliter docui , & demonstravi per quendam Clientum meorum , nugis & erroribus tuis animosè se opponentem. Ex quibus etiam ultrò liquet, si brutam Rationem fecuti fuisse, & turpiter impegisse dicendi sint, quotquot cum *Tapeinophrosyna* ista hypobolimæa non credunt , Deum aut propriè , aut minimum impropiè, esse causam peccati, totam meliorem Antiquitatem in hoc Brutalitatis exprobratæ luto hærere: quippe quam constet aliter hic sensisse, eoque stuporis & stultitiae damnari ab hoc tuo Cliente. Sed quis, nisi ipse brutus, hoc dixerit?

PROPÆT. Ut ut te multum torqueas , hoc mihi tamen Clientis mei effatum infallibile & indubitatum est , Deum nimirum impropriè Causam & dici posse, & esse peccati, & primam potissimum quæ scaturiginem: interim tamen omnis culpæ ac labis

Vid. Ioan.
Arn. Cor-
vin. Cont.
Bogerm.
par. 2 Resp.
ad Annos.
eius, c. 3.
&c. d.

Deum, licet
quodam-
modo sit
causa pec-
cati, culpæ
tamen ca-
rere. Quod

quomodo
sit non ca-
pere stultū
Rationem.

planè carentem statuo & credo , nec ullius reatus à te accusari posse affirmo. Quomodo hoc fieri queat , vis scire ? Non est res *tui judicij*, crede, nec istam abyssum mysteriorum tu capis, aut in profunditatem occultissimarum cogitationum Dei te penetrare vales , rectius de terrestribus, quām divinis illis , judicans. Tibi scilicet absurdum videtur, Deum, cùm efficaciter decernat, imò procuret, & suo modo operetur peccata, plurimosque homines ad ea perpetranda energeticō motu & impulsu constringat, adeo ut absolutā necessitate ista fieri oporteat: Deum, inquam, cùm hæc talia agat, nequaquam peccare, aut ullius defectus vel culpæ accusari posse : mihi verò minimè, utpote quæ mihi persuadeam , planissimè verum hoc esse ; sed *Rationis stuporem* isti sublimitati percipiendæ oportunum aut sufficientem non esse. In summa : rem omnino veram esse statuo , quippe in S.literis traditam: sed hic locum *esse non acuminī naturali*, *sed fidei simpliciter sacris mysterijs acquiescenti*.

ORTHOSOPH. Ista tu quidem satis composita gravitate philosopharis. Sed si fidem simplici tuæ assertioni habeam , tecum prorsus insaniam. Idipsum igitur videndum est , an (ut tu falsò sumis) in talibus Ratio humana stupeat ? nec , quid divinæ naturæ congruum sit, cernere queat? Si doctrina ista, quam hactenus ex te audivi, spiritum sanctum autorem haberet, jure merito (vellemus , nollemus) omnes manum ori opponeremus. Verum quia ille , quod Scripturæ sanctæ pijs Lectoribus abundè dicent, tale nil unquam tradidit : contrà verò ista omnia errantia (ne dicam inflatorum) hominum somnia sunt,in optimum Deum meum injurya, quæ cum supercilie narrata, & credita alijs volunt, quis tam formidolosus, ut commenta hæc metuat ? imò ut non audacter anathema ijs dicat?

Hoc jam olim scio , nil tam decere , quām ut piè & humiliter de Deo sentiat homo, utq̄e dignitatem ejus & bonitatis laudes contra blasphemos Stentores afferat : nil , nisi quod secundum pietatem est , sapiat hac in re : nil etiam , nisi quod expresso Dei verbo sanctitur , de mysterio hoc ut necessarium credat : scio præterea, nil addendum ad illud , nec ei detrahendum : Verū illa portenta de Deo in S.literis tradi, aut pro veris haberi oportere , nondum equidem scio , imò contrarium scio , dumq̄e tu mihi ex ijsdem fontibus, (quod s̄aþe urgendum est) ostenderis,

scita

Rationem
tantum hic
valere affer-
ritur , ut
judicare
queat , An
Horribile
hoc dogma
fundatum
fit in S.
Script.

scita tua esse formulas sanorum Verborum , à Sp. Sancto dictatorum , in mea sententia perstabο ; nec te , sanam Rationem indignè ridentem , atque hinc protervè arcentem , unquam audiam.

Verum enimverò ubi stipendiarios tuos curiosius expendo , plerorumque animos istis ipsis moribus imbutos fuisse , & esse animadverto . Exemplo sit potissimum is , quem tua falsò dicta , & fronte tantum polita , Tapeinophrosyne in delicijs unicè sibi fuisse jactat , & post hunc armiger & altes ejus æquè celebris . Quoties ij , ubi otiosè satis & pro arbitrio suo ita de rebus cælestibus disputarunt , & acuminī suo in tantum indulserunt , ut redditum aut exitum non inveniant , quoties , inquam , ad absurdorum probationem authenticam , cui obloqui nefas sit , ab adversarijs urgenter , nunquid exemplò ad manum habent scutum illud abyssi , profunditatum , altitudinis , occultorum judiciorum , arcane cujusdam voluntatis , sublimum mysteriorum , &c ? moxque projectis aliquot hujusmodi sine iectu hastilibus sese proripiunt , satis rati hoc pacto delusum plumbeum hostem , quem maledictis interim onerare non negligunt . Possem quamplurimis id locis demonstrare , si nescires . Hanc itaque astutiam jure inter prestatias , quibus docendis tuipsa admodum felix es , quibusq; oculos imbecilles facile fascinare potes , referendam esse quis abnuat ?

Vt tandem igitur aliquando huic alteri meæ Quæstioni finem statuam , quero iterum , ubi in hoc dogmate sobriam modestia , & docta ignorantia consistat ? Pro ipsis ego (ex animi sententia dico) ebriam lascivamque immodestiam , & fatuam ignorantiam , prolixè hic deprehendi . Vbi satis in Deum & homines debachata est Tapeinophrosyne , vult (Deus bone , quām ineptè & ridiculè !) [†]Humilis videri : & simul obsequiosam ab alijs fidem exigit in furiosum de Deo sensum ; qualem nec Scriptura , nec Recta Ratio admittunt , aut stabiliunt . Sed in hac stolida commenta non dubito projectam esse larvatam illam Tapeinophrosynen à propria libidine , partim aliena conspurcandi , partim novi quippiam stabiliendi . Et in ijs annon agat ipsa , quod Rationi affingit , id est , annon ex deliris ratiocinationibus de Deo , ejusque visione , natura , decretis , voluntate , &c. imperitè audacterque nungetur , Deus ipse judex & vindex esto .

Ego jam deinceps (sed brevius) examinatum eo , de Necessitate

Calvinus &
Beza.

Mores cu-
tio formum ,
& fui dog-
mata specie
quadam ob-
trudere &
cōmendare
volentium .

[‡] Maximè
ibi : absit à
me ut ego
villis & ini-
fera Deum
meū ullius
defectus
accufem.
Tap. A. 6 b.
Cūm tamen
reipfā stre-
nu faciat ,

Transficio ad
III. Quest.
de Necessi-
tate lapsus
Adami.

tate *lapsus Adami*, clientis tui opinionem. Tu mihi, quæ ea sit, pri-
mum explana, (namque prima instillasti) ne fortè me de re non intel-
lecta rerba facere contendas. Quod aliâs fidenter magis, quam ve-
rè, tui nobis objiciunt.

a Calv. con-
tra Nebr. ad
art. 1.
b Ibid. ad
ar. 2.

Zanch. de
Nat. Dei
L. 5. c. 2.
p. 736.

PROPET. Faciam, licet irritata: tu arrige aures. ^a Non solo Dei
permisso, sed arcano etiam consilio, *lapsus fuit Adam*, omnesq; posteros suo
lapsu in aeternum interitum traxit. ^b Fateor, *lapsum Adæ non fortuitum
fuisse, sed occulto Dei decreto ordinatum &c.* Ex hac mea doctrina
fluent, quæ porro profitentur sectatores mei, præcisa & efficace
Dei ordinatione Adamum in peccatum lapsum fuisse. Neque
hujus meæ institutionis eos pudet. *Quid enim opus est tergiversatio-
ne? Si simpliciter Deus noluisse illum peccare, non peccasset: quasi vero
Deo invito aliquid fiat.* Occasionem illi dedit peccandi, dum legem tulit,
quam sciebat ipsum non servaturum. Creavit serpentem & diabolum, qui
Eram tentarent. Dedit ei uxorem, quæ illum aliceret. Denique permisit
eum suo arbitrio malè uti. Quomodo igitur dici potest, *Adamum esse la-
psum in peccatum contra Dei ordinationem, ac prædestinationem?* Fatemur
ergo, factum fuisse Dei consilio ac voluntate, ut *Adamus lapsus sit*. Imò
fieri aliter non poterat, quin Deus Adami lapsum efficaciter &
vellet & procuraret: quippe qui jam absolute tum justitiam pu-

NB. p. 5cat. con.
Schaafin,
Vorstium,
Bertium,
Hemming.
etc.

nientem, tum misericordiam parcentem, in hominibus exerce-
re decreverat: quos fines sine illo medio assequi nullo modo po-
terat. Adeo ut decretum de lapsu Adami procurando, ab altero
illo decreto, de plerisque hominibus absolutè ad pœnale exitium
deputandis, deque alijs ex misericordia parcente servandis, tan-
quam effectum à causa sua necessariò dependeat. Hæc, inquam,
meorum Clientum oracula sunt, nullis unquam machinis ex-
pugnanda. Ex quibus porro consequitur, nequæ ante lapsum, ne-
dum post, Liberi arbitrij fuisse Adamum, sed pura puta nece-
ssitate, ac mero decreto Dei in istam sortem incidisse. *Quod &*

** Nicasius meus ingenuè pridem scripsit, quem alij hoc nomine
injustè tradicunt.*

p. 23. 24.

Propeteia
multa affir-
mat, pauca
Scriptura
dictis pro-
bat.

ORTHOSOPH. Satis pol evidenter & ingenuè edifferis, cui
Adami ruina accepta referenda sit, quando non liberè aut con-
tingenter eum, sed divina & inevitabili necessitate, ex absoluto
& efficace decreto promanante, peccasse contendis. Verum,
Propeteia, vis dicam, qualem te meritò judicem? Semper tui si-
milem. Cum in re tam ingentis momenti liquida Scripturæ do-
cumen-

cumenta expectarem, tu antiqui moris tui memor, pro illis (nec aliud fortè hic potes) jejunas speculationes tuæ phantasie pro decisionibus adfers. Sanè principia, seu *νεφάλωια θετικά* (quale positiones & hoc est: *Adam non habuit liberum arbitrium ante lapsum*: Item principales hoc: *Adamus absoluta divini decreti necessitate lapsus est &c.*) non ab hoc aut illo homine pro suo arbitrio confictis verbis, sed rotundis Sp. Sancti dictis enuncianda erant. Quod quia non facis, nec facere potes, quæ ratio me jubeat assensum tibi temere præbere? Maximè cùm nonnulla testimonia Scripturæ sint, *τὸν ex diæmetρον ἀγρέτης ἀνικέψυχον*. E. c. Ipsa historia primæ legislationis, & pugnaciarum, quæ hanc secuta est, voluntariæ transgressionis. Cui utrique pulchrè consonant cùm alia Sp. Sancti testimonia, tum speciatim illustris ille Ecclesiastici locus: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adjecit mandata & precepta sua: Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam servare. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, manum porrige tuam. Ante hominem vita & mors; bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi, &c.* Huic ego loco fidem meam tandem adstringam, donec alij, qui fortè Canonicum non esse dicent, se & Scripta sua Canonica esse, & haberi debere probaverint. Imò verò hunc locum tamē firmiter credo, cui assentiendum sit, quia auctoritate Moysis, omni exceptione majoris, sese tueretur. Quid enim ille de homine, & libera ejus voluntate, etiam post famosum illum lapsum prædicat? Audi ipsum: *Mandatum Deut. 30. hoc, inquit, quod ego præcipio tibi hodie, non suprate est, neque procul v. 11. 12. &c. possum; neque in cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad cœlum adscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus. Neque trans mare possum, ut causeris & dicas: Quis ē nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere quod præceptum est?* Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo ritam & bonum, & ē contrario mortem & malum: ut diligas Dominum Deum tuum. Testes invoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim robis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: elige ergo ritam, ut & tu vivas, & semen tuum. Ex ipsis ita colligo: Si ista libertas & facultas volendi, eligendi, faciendi Israelitis sub V.T. adscribitur à Dei servo, quid utrumque & eligere & repudiare (bonum, & contrā:) liberè possent: quanto magis illam integræ

Adami naturæ propriam fuisse credendū est? Ac proinde Adamum liberrimè, atque *sine ulla necessitate*, nedum impulsu aut ad actione aliqua divina, peccato sese contaminasse?

Quod ipsum (quia summo triumpho humana excipis suffragia) illos ipsos obserua dicentes, qui è tua porticu utrumque asse-

*Quidam life
idem Ajune
& Negant.*

*Adamum
faſile verè
liberū pro-
bat ex
Cal. Inst. 1.
c. 13. l. 8.*

*Zanch. de
Op. Creat.
part. 3. 1. 3.
c. 3. p. 885.
sol. 1.*

*Sic supr. Ni-
caf. de Hor-
taco.
† humiliter
sapientem*

NB. p. 889.

runt, *Adamum scil. cum absoluta necessitate lapsum*: Et, *Citra omnem necessitatem lapsum*: & hanc postremam theſin rotundissimè probant. Hæc igitur ipsorum sunt: *In hac integritate Libero arbitrio pollebat homo, quo, si vellet, adipisci posset vitam aeternam*. Et: *Potuit Adam stare, si vellet, quando NON NISI propriâ voluntate cecidit*. *Sed quia in utramque partem flexibilis erat ejus voluntas, nec data erat ad perseverandum constantia, ideo tam facile prolapsus est*. *Liberata tamen fuit electio boni & mali, &c.* Iam nec illa tibi ignota est thesis: *Hominem ante lapsum VERE fuisse LIBERI ARBITRII, tam ad bonum, quam ad malum*. Quæ quomodo cum absoluto & efficace Dei decreto, lapsum ab æterno præordinantis, & in tempore procurantis, stare possint, ipsi viderint. Interea autem opera pretium est, eosdem cum asseculis suis depugnantes amplius intueri.

Sic autem pergunt: *Qui verò negant, ullum hominem unquam aut fuisse, aut esse, liberi arbitrii, (quorum hunc ferè principem scis esse † χαρακή Φεορά tuum) quia legunt, Deum operari omnia in omnibus, omnesq; pro suo arbitrio agere, cordaq; hominum flectere quocumque rult*; ij
” quoque TURPISSIME HALVCINANTVR. Causa enim prima non excludit secundas. Imò Deus unumquodque agit secundum suam naturam atque ingenium: movet naturas, voluntates, non cogendo, sed flectendo. Fuisse verò Adamum ante lapsum verè libero arbitrio præditum, ad bonum & ad malum, à tribus constat Libertatibus. Primo enim voluntas ipsius ab omni Coactione libera erat. Sed addē hic, quid Adamus non solum liberam ab omni Coactione habebat voluntatem; Verum etiam ab OMNI NECESSITATE. (audin' vero? hic omnes nervi incidentur Stoicæ tuæ labendi necessitatí.) Nihil enim illi erat vel Externè, vel Internè, à quo aut ad malum, aut ad bonum volendum, vel faciendum constringeretur. De Externis manifestum est: quia NEQUE Deus

NB. VOLEBAT, neque Angeli, vel boni, vel mali, neque cali poterant illum aut ad bonum, aut ad malum, ulla necessitate adigere. Intra se verò nihil itidem eum habuisse, quod sibi necessitatem ullam aut ad bonum, aut ad malum inferret, manifestum est. Nam creatus erat totus rectus, justus, & bonus, eoq; liber erat ab omni peccato, nullaq; in eo erat concupiscentia, à qua

à qua ad peccandum vel impelleretur , vel etiam alliceretur. Vis plura Adi, quæso , & consule Doctorem illum Clientis tui & Patronum alioqui magnum, qui ex ipsius Scripturæ authoritate validè probat eodem loco meam sententiam. Primo à Lege formaquæ præcepti. 2. A poena peccato addita. 3. A dicto Ecclesiastæ, ^{MS.} c.7. v.30. 4. A dicto Syracidis , c. 15. v. 14. 15. & d. Quibus subjunge decisivam hanc ejus conclusionem: *Deo non posse pecca-* p.896 col. 2
tum Adæ VILLA RATIONE adscribit ; quid non dederit ei gratiam , qua
vellet in bono perseverare. Nam dederat ei bonam voluntatem & rectam,
qua posset bene velle : sed liberam, quæ posset etiam malè velle, si nollet be-
ne. Quis autem Adami voluntatem rel coegerit , vel VILLA NECESSITATE
constrinxit, ut malè vellet? Nemo sanè : sed ipse sponte sic voluit. Ostensum
est enim, eam fuisse liberam tum ab omni coactione , tum ab omni Neces-
sitate. Hactenus ille , quem omnium tibi instar esse volo ; & di-
spicere Clientem tuum, quomodo se ab illo expediatur. Nam mi-
hi satis est , hoc par athletarum obiter commisisse. Alios autem
nunc non citabo, quia satis notum , omnes saniores id unanimi-
ter adstruere , Adamum post lapsum demum amisisse liberum arbitrium
ad bonum. Indubitate ergo credunt, quod & verum est, ante pec-
catum illud habuisse. Non enim amisit, quod non habuit.

Cæterum, si tam malè feriatus quis esset, ut commentum hoc ultrò admireret , Adamum sine libera Voluntatis actione pec-
casse , nec libero arbitrio donatum fuisse , adeoque nec contin-
gentes ~~sed necessariò lapsum :~~ quomodo, quæso, Absurda ista evi-
taret , in quæ recto itinere ducit istud novitium tuum dogma?
Considera enim, sodes : Si Liberi arbitrij expers dicater Adam,
(ut jam nihil de alijs hominibus dicam:) num verè dici possit,
eum Ratione proæretica præditum fuisse à Deo ? Si Liberum
arbitrium non habuit , nec Rationem electivam habuit : imò si
usum rationis in hoc seculo spectes , rationem prorsus non ha-
buit. Utique enim illud cum hac essentiali nexu ita cohæret, ut
separari ab ea nequeat. Ideo enim homo prædictus est anima ra-
tionali , ideo ratione utitur , & præterita cum futuris , opposita
cum oppositis comparat , ut sciat quid sit approbandum , ap-
pendum, vel aversandum, quid præeligendum, alijsque præferen-
dum. Et cum cura hīc expendas jubeo summi illius Philosophi
effatum : *Necessariò cum Ratione (electiva, seu proæretica) liberum*
arbitrium existit. Aut enim homo non erit rationis compos, aut si est ra-
tionis

Absurda,
qua incur-
rit, qui Ad-
mo lib ar-
bitriū adi-
mit ante
lapsum.

Vid de his
Clarif. Phi-
los Timple.
in Phil. 3.
part. 3 c. 2
probl. 7.

tionis compos, erit Dominus suarum actionum. Si autem est Dominus actionum, omnino habebit liberum arbitrium. Item: Necessariò homo est particeps liberi arbitrij, quoniam est particeps rationis. Ideoq; qui Deum accusant, quod hominem non creavit *νοητὸν ἀνθρώπον*, h.e. ejusmodi, ut vitium seu peccatum in eum cadere nullum posset, sed *αὐτεξότιον*, h.e. liberi arbitrij compotem, illi imprudenter Deum accusant, quod hominem rationalem fecerit λογικὸν, & non *ἀλογόνον*. Necessarium enim est alterum de duobus, ut aut homo sit *ἀλογός*, aut si rationis est compos, & in rebus agendis cum ratione versatur, ut sit liberi arbitrij particeps. Hæc omnium Philosophorum vox est.

Præterea irrefragabili conscientiae testimonio hoc probatur, etiam de quibusvis alijs hominibus, quo unusquisque convincitur, se multa liberrimè & agere, & omittere: multaque aliter agere, quam agit, posse. Quod ipsum S. Literæ firmant, dum docent, Deum hominē reliquissimè in manu consilij sui, &c. ipsum hominem posse eligere vitam, vel mortem, &c. hominem in potestate habere propriam voluntatem, & actiones inde pendentes, &c. Adde his ipsum finem hominis, ideo jam olim creati, ut liberè ac sapienter imperet ac dominetur mundo, & rebus mundanis; soli verò Deo religiosè serviat, ejusque voluntatem sponte exequatur, sub spe præmij ab eodem pro libera obedientia consequendi. Hoc verò sine libero arbitrio fieri non potest.

Epiphanius, c. 15.14. &c. d.
Deut. 30.11. &c.
1. Cor. 7.37.
Act. 5.v.4.

Quod si Adamo liberum arbitrium non fuit, sed servum, id est, absolutâ Dei potentiam, & decreto, ad unam tantum determinatum, quis fuerat meriti, vel culpæ locus relictus? Quorsum lex illi præscripta, ad quam viveret? Si enim fati est, sapientem fieri, prudentem evadere, rationalem generari, & irrationalē, aliaq; omnia; cessent leges: dominatur enim fatum adulteris, & alijs; id genus inobedientibus, qualis Adam utique fuit. Quem quid attinebat vanum & supervacuum adhibere conatum, gubernandi actiones suas, ut essent conformes Legi divinae? & collineare ad præmium obedientiæ, si adamantinum dira necessitas clavum fixerat jam ab æterno, ut in unam tantum, nempe prævaricationis, partem determinanda foret voluntas ejus? Imò nec conari debuit obedire: nam quò magis id fecisset, èd magis efficaci voluntati divinæ restituisse, id est, contra stimulum calcitrasset. Sed infinitum foret, omnia dogmatis vestri *ἀπόπειρα* percensere.

Contra ista tamen, que ad stabiliendam tuam Fatalē lapsus Argumenta
contraria
proposita.

Necessitatem aduersi, porro sic differens concludo:

1. Causa à qua, & ex qua, potior est causa, in qua, seu per quam, aliquid fit: Sive, Causa efficiens & movens magis est causa sui effecti, quām instrumentalis.

At Deus (ex tuo sensu) est causa lapsus à qua, sive efficiens; Adamus autem causa per quam, seu instrumentalis.

E. Deus magis est illius rei causa, quae facta est ab Adamo, quām Adamus.

Hic tu mihi Deum tuum (h. e. qualem in hoc negotio tu finis) culpæ purga, sed sine sophistica. Interim plura hujus generis accipe.

2. Quicquid prodit ex Dei absoluta & efficace ordinatione, consilio, decreto, id malum esse nequit. (*Ratio: Quia à bono Deo, eūque voluntate ac decreto, nil nisi bonum.*)

Lapsus, seu peccatum Adami (secundum te) ex ejusmodi ordinatione, consilio, & decreto Dei prodijt.

E. Lapsus Adami malus esse nequit.

Quid igitur in eo culpabile, quid pœnâ dignum, si bonus, ut pote à bona causa profectus?

3. Nullus sapiens, lege positâ obedientiam exigens, efficaci & arcano motu eandem impedit. (*Ratio: Quia nemo sapiens secum dissidet, aut sibi contrarius est, idem scil. volendo, & nolendo.*)

Deus lege positâ ab Adamo obedientiam exigens, eam tamen, juxta te, arcano & efficaci motu impedivit.

E. Non est Sapiens, ex dogmate tuo.

4. Si peccatum Adami est à prævio defectu, seu corruptione (ut omnino est) oportet ut aut homo seipsum corrumperit, aut Deus.

Si Adam seipsum corrupit, jam non est à Deo peccatum. Si à Deo corruptus est, (quod convenienter tuæ sententiae dicitur) quomodo non erit statuendus Deus autor peccati?

5. Quicquid à Deo efficiendum decernitur ab æterno, id ab eodem approbatur, cum in tempore factum est.

Lapsus Adami, juxta te, ab æterno decretus est efficiendus.

E. Lapsus Adami à Deo approbatur.

Hoc si verum est, cur Scriptura docet, Adamum propter eum

poenâ divinitus affectum? Cur Deus ejiciat Paradiso, & morti addicat, facientem opus quod ipse approbat?

6. Peccatum Adami aut à propriâ & liberâ voluntate & inclinatione ejus est ortum: aut ab energetica Dei ordinatione, & efficaci voluntate.

Si illud, causam non habet voluntatem Dei.

Si hoc, Adam non potest dici peccasse, eo quod lapsus ortum duxit ex divina voluntate, ex qua nihil peccatosi, ut sic dicam, prodire potest.

7. Si voluntas Dei causa fuit lapsus, Præceptum verò prohibativum contrarium lapsui, erit utique Voluntas Dei præcepto contraria; id est, Genus speciei, vel si mavis, Causa Effectui, vel denique signatum suo signo. Hoc ubi statuitur, quorsum, quæso, Sacra Scriptura? quam certitudinem nobis præstabunt ejus testimonia? Quis nobis dicet, Deum jubendo non vetare, & vetando non jubere? Quærendus scilicet Pythagoras aliquis, qui pro captu & libitu Rationis suæ Scripturas nobis explanet. Crediderim ego, si Adamus ^fSapientia divinæ particeps fuit, tam sapientem utique indubie fuisse, atque sibi videntur tuorum ^{εξαιρέτων} quidam, dicentium, Voluntatem Dei efficacem fuisse, ut laboretur Adam. Hic igitur aequè intellexit Dei de lapsu suo voluntatem, atque inde fortè ansam arripuit contemnendi Præceptum, & id faciendi, quod Decretoriâ Voluntate Deus præcise intendebat. Vel saltem justam dubitandi causam dedit Adamo sapiens illa cogitatio, an scilicet divina prohibitio (de non edendo pomo vetito) fuerit seria & infucata, an verò minus? præsertim cum eventus ei non responderit, ex quo solo Clientes tui voluntatem Dei veram & propriè dictam astimare solent.

Hujusmodi sanè rationes (omitto autem multas alias) non patiuntur, ut commento tuo adhæream, quasi lapsus Adami causaverit simplex & absolutum aliquid Dei propositum, efficaci potentia comitatum: sed quod malum illud non aliunde, quam ex libero primi hominis arbitrio, seu voluntaria hominis electione, in quam nihil operata est *nulla necessitas*, effluxerit, constanter credam & tuebor. Quam fiduciam mihi partim ipsa rei indubitata Veritas conciliat, partim consensus omnium, qui rerum sacrarum aliquā notitiam habuisse creduntur, & * *ἐμφύλιας* libertatem voluntatis in Adamo adhuc integro asserunt.

^f Calv. Inst.
l. i. c. 15.

Eximiorū,

Vid. Franc.
Iun. de Pri-
mo Pecca-

* *ἀνανίη
τοπεῖται.*

PROPER.

PROPOSIT. Esto : at nemo illorum fortè satis maturè hactenus & accuratè expendit , quid illud liberum arbitrium monitri ale-ret. Hoc quia Causidicus meus nunc agit contra te tuosque , ca-terratim eum impugnatum profiliunt : & cavillantur, tanquam qui non sobriè satis, sed improridè nimis, de Deo , & ejusdem consilij scribat. At isti longè errant. Iam enim dudum sententiae istius ex tabulis meis certus & tenax est, multò perfectiore futurum fuisse Adamum, si non fuisset liberi arbitrij, quoad malum. Quic madimodum Deus ideo perfectior est , quia malum ne velle quidem potest. Et tales in fu-tura vita erimus homines beati, ubi liberum arbitrium ad malum non ha-bebimus. Itaque Libero arbitrio non dato ex parte mali, non su-stulisset hominem Deus, sed perfecisset.

ORTHOSOPH. Iam dudum ego te *muuaquævlu* sustineo. Et tanto quidem es tum inceptor , tum molestior , quò eandem Camari-nam sepius moves. Hic virus tuum denuò in Deum evomis, dum alamas, absque libero arbitrio perfectiorem hominem proditurum fuisse. Qui scis, quæso? An Spiritus Sanct. in Scriptura tibi id pate-fecit? Non puto. Quis verò docuit, Liberum arbitrium pertine-re ad Imperfectionem hominis viatoris , ut loquuntur? Hacte-nus ego mihi persuasi, Perfectionem hominis (quæ est ejus finis) aliam in hoc seculo esse , aliam in futuro. & illam quidem resul-tare ex recto arbitrij liberi usu : nec imperfectionem hominis ullam argui posse, aut potuisse, nisi post abusum ejusdem, & vo-luntariam determinationem ad ipsum actum vetitum. tum de-mum verè dici potuisse hominem imperfectū , non antè, statuo. Deus utique in istum finem, scil. ut beatus redderetur per bonum arbitrij usum, non ut miser evaderet per malum usum, Liberum arbitrium ei dedit ; uti suprà etiam ex Doctrinæ Catecheticae scitis ostendi. Iam verò si primo homini NIHIL OMNINO ad absol-
tam perfectionem desuit, (quod eximij etiam nostrorum agnoscunt) quis tam cæcus fuerit, ut non videat, malè dici imperfectum fuisse Adamum , ideo quòd Liberum arbitriū habuit ad malum quoque. Ac licet non fuerit Deo perfectione æqualis, tamen suo modo, & in suo genere, perfectissimus fuit, utpote in suo statu, ut sic dicam, viatorio, perfectè bonus, sapiens, justus, beatus, &c. Quòd autem necessitas ulla ex dato libero arbitrio ad peccan-dum resultaverit , quomodo tandem persuadebis ? Sanè cum indifferenter fese voluntas ejus haberet tam ad bonum , quam ad ma-

Propriet. di-cit, liberum arbitriū alere multa mō-stra: que in seqq. concur-tur ostendere.

Adamum perfectiore futurum fuisse absq; Lib. arbitriū ad malum Exclo Dei & beatorū probat.

Responf. Liberū ar-bitriū nō pertinere ad imperfec-tionem.

Bulling.
Dec. 3, Ser.
10.

Adā in suo genere, ut viator, per-fectus fuit.

ad malum, & ex permissione divina utrumcumque vellet, eligere posset: existimari non debet, alicubi latuisse adhuc tacitam quendam Necessitatem, quae indifferentiam illam suam vi tolleret, & ad unum tantum objectorum praecise hominem determinaret. Quicquid verò tu hinc philosopharis, aut aperte falsum, aut merè imaginarium, spinosum, incertumque est, nec plana aut certa claraque haec unquam reddes, nisi liquidam Scripturam lucem admoveris.

An recte
Adamus di-
catur crean-
dus fuisse
ad instar
beatorum
in celo?

vid. sup. di-
ctum Ber-
nar. in Rat.
a. de Labi-
tate.

Sanè quod Adamum ante lapsum cum beato homine in futura vita confers, quasi Adamus hujus instar creari debuerit, non liber ad utrumque oppositum, plusquam inepte facis. Deo enim sic visum fuit, ut Adamus sensim, quasi per gradus, in bono proficeret, utque gloriae præmium per obedientiae viam consequeretur. Beatis vero in celo hanc conditionem non prescripsit, neque prescribere potuit, eò quod illi bonum istud jam adepti sint. Cum ergo Deus unicè, ad finem jam dictum, creaturæ suæ liberam obedientiam intenderet, non autem coactam, aut fato aliquo necessitatam: talem certè eam, & non aliam, condere debuit, cui libertas esset indifferens ad utrumque: quippe sine qua non datur obedientia viatoris propria, & vero aliquo præmio digna. Ex quibus etiam amplius liquet, quam vanè Deum Opt. Max. suaque natura perfectissimum, hoc aptare studeat Cliens tuus, qui nec obedire cuiquam potest, nec præmium ab altero consequi, nec denique perfectior, quam est, evadere per naturam unquam potest. Quapropter ita potius tacite inferre debebat, ad istam immutabilitatem Dei formari hominem non debuisse. Rationem appono, quia sic poposcit ipsa providentia, & natura Dei. Non enim dat Deus gloriam suam, h.e. suæ naturæ propriam, ulli creaturæ: nec Deum (quod impossibile) creare tunc intendit, sed hominem. Eorum igitur fuerat, intra hos terminos compesci volatiles istos spiritus tuos, nec alia vana curiosius te scrutari, quæ, quantumvis speciosè excogitata, & in scenam producta videantur, tamen præpostorum de Deo sensum palam testantur, & meram profanitatem inculcant.

^{1.} An liberū
arbitrī, offen-
dat ad Sa-
pientiam
Dei?
Tap. A. 8. a.

PROPET. Ut maximè velim admittere liberum Adami arbitrium, tamen validè illud vetat, quod ad Sapientiam Dei offendit: Sie enim concluso: *Quicunque alicui aliquid committit, quo aliquid voluntati suæ contrarium indubitate præscit proditurum, ille non agit Sapientem.*

pienter. At qui (secundum te) Deus committit Adamo liberum arbitrium, præcious contrarij voluntati suo inde prodituri. Ergo Deus &c.

ORTHOSOPH. Major tua cùm sit ambigua, facilè in falsitatem degenerare queat, si sequius accipiatur. Cùm enim vox voluntatis duplicitur sumatur, vel pro Voluntate Preceptiva, quæ lege continetur, sive mandato lege divina comprehenso, quo & respicit eventus ipse, qui præter ac citra intentionem & finem tradentis solet existere. Vel pro voluntate exexecutiva, seu proposito finis & intentionis in ipso tradente: Certè si hanc posteriorem voluntatem in Majore intelligis, scil. Quòd nemo sit sapiens, qui tradit aliquid alicui eo fine, ut abutatur eo in suam vel aliorum perniciem, vera est Propositio, sed Assumptio falsa. Si enim Deus abusum liberi arbitrij in Adamo absolutè voluit, utique præscivit etiam nihil voluntati suæ contrarium posse inde prodire. Sin verò voluntatem Legiflatoriam, ad quam uterque possibilis evenitus ponitur, jam Minor quidem vera, sed Major falsa est. Cur enim aliquis verè sapiens, qui abusum bonæ rei prævidet, à redanda ob prævisionem istam abstineat? præsertim si abusum quoque in bonum publicum vertere norit: siquè summus Legiflator sit, & obedientiam legi suæ liberè præstari postulat. Nulla certè ratio est, cur talis aliquis ob donum per se bonum imprudens, aut insipiens dici mereatur. Non enim per inficiam, sed dedità operâ, illud alteri dat, & utendum committit, quod ad obedientiam liberam præstandam necessariò requiritur; & proinde, quo simul efficere (id est, velle ac facere) homo aliquid potest, quod voluntati Committentis, id est, Legi & præcepto, quo voluntas illius expressa est, contrarium sit. Vulgari exemplo id puto demonstrari posse. Sit bonus aliquis Princeps, qui in dictiōnem suam invehī curet maximam vini, frumenti, aromatum, &c. copiam: & simul Lege latâ ebrietatem & luxum prohibeat, etiam sub poena relegationis. Hunc si quis, (ubi fortè subditorum aliquis se inebraverit, aut contrarium voluntati principis fecerit) insipientem vocaverit, quodd vinum, frumentum, aromata, &c. invexerit, cùm sciret proclives quosdam ad vinolentiam abusuros, V.gr. vino, & inebriatum iri, & sic relegationem merituros, is sanè iniquus fuerit. Cùm non hoc fine, sed alio meliore, puta, sanitatis, hilaritatis, roboris, &c. aut fovendi, aut recuperandi causa, Princeps id fieri voluerit.

Respōd. per
distinct. vo-
cis, volun-
tas quæ da-
plex.

I.

2.

Res expi-
catur fundū,

Nec verò refert, quod præsciat Legislator, illum cui rem istam committit, abusurum potestate illâ: quia sufficit, ut sapiens ille, qui hoc ipsum præscit, simul illud noverit, abusum hunc facile caveri posse; utque causas justas habeat, cur ita faciat: id est, cur interim committat illud, quo abusurum hominem videt, utque nihil ipse aut faciat, aut fieri permittat circa hominem, quod minus rectè ut homo possit re sibi commissâ: imò verò omnia faciat, quæ æquitas facienda esse dictat, ut alter re sibi commissa rectè utatur: ac proinde ut ipse in causa non sit, quod minus abusus sit liberrimus, & planè voluntarius, sed ut per ipsum tantum hominem stet, quod minus rectè utatur. An ergo tu Deum culpandum censes, quod aut cum libero arbitrio Adamum crearit? aut tali ipsi condito vel oculos non clauerit, ut pomum videre non potuerit? vel manus isto momento non luxaverit, ne ad apprehendendum malum extendere posset? vel aures non fecerit obsurdescere, ne verborum Satanæ illecebras audirent? Cave faxis. Quin neque Pater, neque Princeps insipientiæ arcessendus, si ille filijs, iste subditis, ad cavendam ebrietatem ora non obliget, gulas ac fauces non obstringat, manusque non præcidat: quem utrumque satis functum officio suo constat, si lege severissimâ promulgatâ declaravit, se obedientiâ liberâ à filijs, ac subditis honorari malle, quamvis ac coatione.

a. An in Iu-
sticiam Dei
impingat
Lib. arbit-
rium?

T. p. A. 8. b.

PROP. Sed & directè in Iusticiam Dei incurrit Liberum arbitrium. Quicunque enim verè est justus, habens omne id in sua potesta- te, quo possit peccari, & sine quo non possit peccari, si sciat eo alteri tradito peccatum indubitatò iri, id nemini committit. Atqui Deus (secun- dum te) habuit in potestate sua liberum hominis arbitrium, quo solo potuit peccari, & sine quo non potuisset peccari: præscivit etiam, eo tradito alteri, peccatum indubitatò iri, & tamen id commisit homini. Ergo &c. Proinde ne statuendum sit, Deum iusticiæ suæ ipsummet adver- fari, credi debet, non tales creasse Adamum, qualem tu statuis, atque hunc non per liberum arbitrium esse lapsum, sed per energiam ipsius Dei.

Respon.

ORTHOSOPH. Vis summatim dicere, eum non esse justum, qui committit alicui quipiam, quo accipiens possit abuti. Ta- lem verò fuisse Deum in dando libero arbitrio, & ob id injus- tum. At ego illud sequi pernego. Ratio enim Iusticiæ non in eo

In quo cō-
ficitur Iusti-
tiae ratio?

sita est, ut non detur alicui aliquid, quo is abuti possit, quantumvis dans sciat, eum cui datur malè usurum. Sed in eo potius, & quidem tantum, ut suum cuique tribuatur, nihilque à parte dantis fiat, quominus is qui re data abutitur, proprio & liberrimo motu, vel arbitrio suo, eadem abutatur, aut abusus fuisse dicatur. Præscientia verò non tantum non impedit, quò minus abusus liber sit, sed ipsum liberum abusum pro objecto habet: adeo ut nisi abusus liber esset, præscientia de eo nulla foret, quod alter re datā liberè abusurus esset. Itaque nec Iustitiae, nec Sapientiæ illius, quæ Deo ut supremo Domino & Legislatori competit, ratio in eo verè est sita, in quo utramque tu statuis. Etsi enim in speciem videatur Sapientiæ contrarium, committere alicui quippiam, quo sit abusurus: revera tamen contrarium non est, dummodo illæ conditiones in dante simul & accipiente adsint, quas paulò antè recensui. Et posito, sapientiæ seorsim acceptæ aliquatenus id adversari, nullo tamen modo Iustitiae contrarium dici debet. Sufficit enim ad Iustitiam, ut injuria non fiat ei, cui committitur res utenda; sive, ut illi suum tribuatur, utque non habeat, de quo jure conqueri possit, (concredi scil. sibi tale ali- quid, quo rectè uti nequeat) cum ipse re concredita & rectè uti, & contrà abuti possit, si velit.

Sic ergo ineptum & insipidum foret, Dominum istum inju-
stum dicere, qui, cùm haberet, per quod posset ab industrijs fieri
lucrum, & quo non dato, nihil posset ab otiosis defodi, quoque
dato peccari ab utrisque posset, tamen utrumque distribuit, &
quod bene collocatum elt, & quod malè, quamvis utrumque
eventum præsciret. Satisfecit enim suis partibus, dando id, quod
bene uti quilibet accipiens posset, jubendoque ut rectè uteretur
quilibet, suumque officium faceret. Injustus autem tum potius
fuisset, si lucrum poposcidisset, non dato prius, quo posset nego-
tiatio institui. Et quo successu servus ille malignus injustitiam
Domino suo exprobrarit, satis notum est ex Evangelio. Annon
etiam meritò insanus dicatur, qui Magistrū accusare velit, quod
Discipulum Eloquentiæ præceptis & arte instruxit, quâ hic po-
stea ad perniciem aliorum abutitur, quamvis abusum ille ali-
quatenus præviderit: idque ob causas modò expositas.

Iam verò certum est, Dominum Deum, qui tamen omni ho-
minum jure ac potestate superior est, dum rem aliquam homini

Dominus
talentorum
non fuit in-
justus, di-
tribuens ea
benè & ma-
lè pōst utē-
tibus.

a Quod eg-
criam inter
Seita vestra
invenio ur-
geri.
Matth. 25.

Deus semper
per iustas
habet cau-
sus, cur sic
agit.

liberè usuro committit, causas & rationes habere justas & graves (sine quibus nihil unquam agit) etiam si nobis non semper exploratas esse velit, cur concredere velit illud, quo abusurum videt eum cui concredit. Quid igitur causæ est, cur quis divinas actiones, actionumque justas, licet interdum occultas, rationes, indignè potius traducere, & injustitiæ reprehendere velit, quam suspicere, ac religiosè venerari? Nihil equidem hoc aliud est, quam si homo Deum judicio suo metiri, & consilia ejus sub jugum mittere satagat: quod tui Nostris, sed absque ratione, idem objectare solent.

Quod porrò ais, Liberum arbitrium illud esse, quo solo peccetur, & sine quo peccari non potuisset, aliud ingens monstrum alit. Ex sensu enim tuo si tanquam verum id enuncias, vide an-

Tapeinofo-
phron sic-
ipsum ir-
retit. non peccatum universum è mundo tollas, sublatum nempe vo-

“ lens, etiam ante lapsum, omne liberum arbitrium. Vbi enim hoc
Notentur, non est, ibi neque illud. Dicis autem, Adamum non habuisse li-

“ berum arbitrium, etiam ante lapsum. Dicis etiam, sine libero
“ arbitrio peccari non posse, sed per illud solum peccari posse. Si

“ ergo Adamus Liberum arbitriū non habuit, nec per carentiam
“ ejus peccare potuit, utique non peccavit. An ergo non fiet fa-

“ bula Poëtica tandem peccatum illud Adamiticum? Sin autem
ex Hypothesi tantum illud dicens, quasi posito ac dato libero ar-

bitrio, necessariò ac immediatè ex eo prodierit Peccatum, co-
gita, quæso, annon debeat ex sensu tuo affirmari, Peccatum
omnino fuisse necessarium, (necessitate, inquam, cause & effe-
ctus absoluta) & illius causam tandem statuendum esse Deum?

Quod annon utrumque impium prorsus & horrendum sit, &
evertendæ religioni aptum, judicabunt verè εὐτελεῖς καὶ πρόδρομοι
omnes.

pj & Deū
honorable,

Verum dic quæso tandem, Propeteia, an nondum animadver-
tis, te miserrimè inextricabilibus nodis teipsam irretire? & ma-
nifestariam insipientiæ culpam hic Deo impingere? Ecce enim:
Idem Insi-
pientia no-
tam Deo
pertinet.
Si negas eum Adamo dedisse Liberum arbitrium, tibi ipsi con-
tradicis, & peccatum omne de medio tollis, uti modò ostendi.
Sin ais dedisse, & tamen inde mox infers, contrarium quid divi-
næ Omnipotentiæ, Iustitiæ, Sapientiæ, donum illud fuisse; nun-
quid jam ipsum Deum accusas stultitiae, quod per se contrarium
quiddam divinis suis proprietatibus homini dederit? Hominem
sanè

sanè (ex tua sententia) culpare nequis, qui donum sibi inditum accepit tantum, nec libertatem ullam habuit rectè eodem pro suo arbitrio utendi, adeoque Dei dono, necessitante Deo, abusus est: imd abusus non est, sed rectè usus est, quia aliter eo uti non debuit, non potuit. Indiligerter sanè hactenus fuisti, quod Deum (de cuius familiariori cōversatione, & notitiā intimā, totiens soles gloriari) hujus præposterae dationis non admonueris. Verū absurdorum tui dogmatis vix ullus est finis.

PROPET. Sed si maximè verum esset, quod Deus Adamum liberi arbitrij creasset pro immutabilitate sua, tamen quia non impedivit lapsum ejusdem (quod potuisse facere, refutando Diabolum, monendo Adamum per se aut per Angelum, inclinando item liberum animum ejus ad bonam duntaxat partem, ut diabolo non crederet, sed Deo pareret, idque pro libero suo arbitrio: (Hocque pacto Deus mansisset immutabilis, Adamus liber & bonus) sequitur ex mera Dei voluntate lapsum esse Adamum, nec quicquam hīc operatum fuisse liberum ejus arbitrium.

ORTHOSOPH. Heu tenebras plusquam Gymmerias! Quām intricata, & sepe contradictoria, sunt tua pleraque? Vidi hactenus non semel: & in hisce novum das specimen. Quid enim illud est, Deus creavit Adamum liberi arbitrij pro immutabilitate sua? Cujusnam immutabilitatē innuas, non assequor. Deive, an Adamus? Neuto respectu puto appositiè, aut saltem necessariò, sic dici. Sed docebō fortè aliās de hac mysterij tui profunditate.

An Deus lapsum hominis aliter impeditre debuerit, quām impedit, (prohibendo scilicet, paenam minando, vires ad omitendum sufficienes dando) ne quāri quidem sine impietate potest. Tantum abest, ut liberum tuā temeritati sit, id ipsum extra Dei verbum definire. Viden' hīc quām te fidenter in adyta Dei inferas, & quasi modimperatricem ejus te constitutas? Eundem verò non monisse Adamum falsum est. Monuit enim satis liquidā & seriā lege, seu præcepto, Viva voce promulgato, additissime terrificis minis. Si hoc non est, Per se monere, quid monere sit, nescio. Alio itaque monitore, Angelo, nil opus fuit ei, ut qui monitorem, longè Angelo majorem, habuerit ante flagitosum hoc factum. Quo pacto etiam convenit Deum refutasse diabolum, dum & hominem facultate abstinenti ornavit, nec ratione pellexit, nedum coēgit, & luntatem ejus ad malum ulla legē

^{3. An Lib.}
Arb. in Dei
immutabi-
litatem of-
fendar?

Tap. B. I. e.

Notatur ab
securitas Ta-
peinophro-
synes,

De Impedi-
tione la-
plus.

De moni-
tione.

De refuta-
tione Dia-
boli.

lege datâ satis instruxit eundem , quomodo refutandum esset , quicquid ipsum ad vetitos fructus percipiendos alicere ulla ratione conaretur. Proinde si ex eo peccati Adamitici autorem Deum constituendum putas , quod non retraxerit omnipotente sua manu Satanam à tentatione , aut hominem ab auscultatione &c. Vide quomodo rationes cum Deo putes , quem tuis legibus subjicere conaris. At satis ille quidem sine alijs patronis causam suam contra profanos ejusmodi momos afferet , & veritas hîc tandem omnes rabulas confundet.

Deum Potuisse aliquid lapsui opponere.

*Init. l. 2.
c. 1. f. 10.*

Quod addis , *Deum potuisse* tale aliquid opponere lapsui , insulsum est. Quis enim talem ejus potentiam , si cum voluntate conjuncta fuisset , facile lapsum hunc inhibituram fuisse , neget? Si meminisset Cliens tuus hoc loco , quo titulo Magister ejus hasce de *Possibili inclinatione* , aut aversione lapsus , speculationes ornaret , fortè omisisset. Vocat intrepide *audacem curiositatem* , *pjjs mentibus abominandam*. Cur ista igitur se discipulus ejus non abstinet ? Fateor ego , potuisse Deum Arbitrium Adami ad bonum penitus determinare , si absolutâ suâ potentia hîc voluisset uti. Etiam hoc fateor , salvâ hominis libertate , seu indifferentia voluntatis , potuisse Deum pluribus modis ad bonum eligendum ipsam inflectere , & inclinare : sed intelligo tamen hîc talem inclinationem , cui liber Adamus per se potuisset resistere. Secus enim falsum est hoc posterius : nedum ut cum priore illo simul stare possit.

*Cōtradicō
Tapeino-
sop.*

1. Et hîc porro absurdam tuam contradictionē notabis ; Deum scil. efficaciter movendo , & determinando liberam Voluntatem Adæ ad unam partem , (scil. ad bonum) inclinare potuisse ; & simul tamen liberum ac indifferens arbitrium ad utrumque (bonum , & malum) eidem relinquere. Hæc se mutuò perimant necesse est. Vt & ista : Deus æterno & absoluto decreto voluit
2. lapsus Adami : Et tamen simul potuit voluntatem ejus ad non labendum flectere. Neutquam verò hoc potuit , si illud omnino voluit , nisi sibi potuit esse contrarius , aut saltem insincerus & simulatus , quod utramque absurdum , imò impium dictu. Et hæc tamen omnia è tuo dogmate sunt : quæ quomodo deinceps conciliies , tu videto.

*an absolu-
ta necessi-
tate talis
Adæ con-*

Caeterū absolutæ necessitatis fuisse , Adamum creari talem , qualis creatus fuit , quis unquam meorum afferuit ? Itaque frustra

hic

hīc pugnas. Nihilominus ego affirmo, Præsupposita justâ & rationabili lege , & Deo ab æterno intendente obedientiæ liberae exactiōem, non potuisse,nec debuisse, illum alium creari, h.e. talem qui labi non posset. Itaque necessariò talis conditus est: Necesitate nempe ex Hypothesi. Absolutæ autem necessitatis non fuit,aut hominem, aut liberum condere , aut obedientiam ab homine exigere velle,cùm Deus citra ista omnia per se summè bonus, justus,& sapiens, & potens, denique perfectè beatus semper futurus fuisset. Sed facto semel decreto, de homine tali ad talem finem condendo,qualem jam dixi, idipsum ex non necessario factum est necessarium.

Est igitur à vero prorsus alienum , creationem Adami cum Conclusio. libero arbitrio,pugnare cum Potentia,Sapientia,& Iustitia Dei. Quod contra te non modò S.Literæ , sed & aperta Ratio , & Consensus Antiquorū Patrum, (quem tamen tu , tuique ad nau- Calv. 1. Inq. 15. f. 8. feam usque, nihilominus falsò, in plurimis pro vobis jactare so- letis) & omnium denique Doctorum , etiam illius ipsius , quem tu in delicijs diceris habuissé, unà mecum defendunt. Si horum omnium authoritas te non movet, aliam deinceps quer cum execute,& delicijs tuis phantasticis interim sola fruere. Mihi cum Baccha bacchari non libet.

PROPET. Verba bene multa te argumentis meis opposuisse fateor : sed ne puta,feliciter satis nodos meos esse incisos, quos mihi persuasi tales esse , ut tu cum omni tua schola solvere nunquam possis. Itaque quandiu ad istos tui non ritè responderint, tibi tuisque non erit liberum sententiam meam & novi Delicij mei traducere , ne vobis impudentiæ notam inuram , illudque occinam,Nosce teipsam. At si mea solvi à te non posse intellexeris,& ignorantiam hīc tuam fassa tandem fueris,hinc facilè Ecclisiæ pacem resultare posse existimo , & vulnus illud lividum coire , simultatemque per compendium tolli. Nam etiam si forte neutra,neque ego,neque tu,ostendere possemus,quomodo nihil prorsus eorum, que in hoc negotio ridentur à parte tum mea,tum tua,absurdè dici, reip'sa absurdum sit,tamen & sua dogmati constare potest veritas, & lis facilè poterit dirimi , si tu me salutaria suadentem audire volueris. De cætero, si quæ mihi objici posse speras, quæ ad incitas me redigant , ea ego Clienti meo commodè explicaturo, & magistrum suum strenuè defensuro,deinceps committam.

ORTHO-

Ridicula &
iniqua offe-
ditur Pro-
petea.

absurda &
fine ratione
excrucia,
arietantes
sophistæ.
Et stulta,

i.e. cum in-
venierit su-
torem, qui
utrem ven-
torum con-
fuit.

Strab. l. 1.

Sola Tole-
ratiæ potest
has turbas
in Ecclesia
sedare.

nonia pie-
tati venena.

ORTHOSOPH. Ridicula profectò es , Propeteia , dum ea solvi non posse, quæ jam olim & nunc sæpius soluta sunt, putas. Neque satis æqua es , dum *impudentiæ* notam inurendam illi ducis , qui tuum discipulorumque tuorum dogma rejicit , cuius ἀρρωτὴ
ἀλογα plus satis per se patent , etiam si quis fortè rudior non omnia diluere queat , quæ *εξεγνήσανται* pro illo muniendo afferre solent. Denique etiam terque quaterque stulta es , si istis sophisticationibus dogma tuum saltem incrustari , atque hinc oportunum vulneri Ecclesiæ læsa remedium afferri posse præsumis. Quid enim ? An , si utrinque (quod Cliens tuus intendit) fateamur , *Deum autorem peccati dici posse*; neque hoc absurdū esse concedamus , eò quòd Ratio nostra non capiat , quomodo ille nihilominus absque culpa sit : ac sic, inquam , ritè satis jacta esse veræ pacis , seu veri ac Deo placentis Christianismi , fundamenta somnias? Credat sanè Cliens tuus , ubi omnes tui ita cum ipso pertendent , tum demum hoc eventurum , ὅταν εὐηγέρτησιν την οὐρανὸν αὐτῷ τῷ αἰρέμων αὐτῷ. Iamdudum saniora alia consilia inventa & vulgata sunt , quibus effici facile possit , ut , nisi per mystica quædam capita stare , hoc tempore alnum illud Pacis & Concordiæ , (aut saltem Induciarum) fidus læti adspiceremus. Hæc quia spreta exolescunt , funis contentionum ducitur , nec fruisci licet tam amæno & felici bono. Quid ista suadeant , vis dici? Solam mutuam dissentientium *Tolerantiam* , quam tam multi meorum hodieque inculcant , & solidissimis rationibus contrabiliros & invidos quosdam Zelotas demonstrant , unicum procurandæ tranquillitatis in hoc mari medium esse. Vult Cliens tuus pacem ? & vult ex animo? Advigilet igitur , ut *Tolerantiam* procuret , & huc operam suam conferat. Et sanè possit hoc agere ex parte videri. Dum enim hīc de *moderatis per modestiam ducentis* , de *perricabibus per patientiam vincendis* , loquitur , hanc ipsam *Tolerantiam* commendare jure creditur. Et si duo ista omitteret , puta , si θεολογία τὴν εὐτελεῖας Φάρμακα , de Deo peccatum procurante , & modis occultis efficiente , &c. non spargeret ; & si verè moderatiorem & pientiorem sententiam tam intolerandā injuriā conspurcare non tentaret , q. quæ Dei potentiam , sapientiam , justitiam everteret , &c. crederem ipsum serio hoc agere. At , quia novâ viâ , (quod gloriari eum aliquando audivi) novisque technis adversarios suos aggreditur , non ut cum suis in veritate conci-

conciliet, sed ut denigret, & irritet: quid quæso meis de ipso aliud expectandum est, quæm majus malum, & anguis, quod ajunt, in ulcere?

PROPET. Malè nimis ominaris, & vanum prætendis metum. Non enim is potest Ecclesiæ pacem non querere, qui (quod ipse facit) Scripturæ sensum hujus litis judicem desiderat, & sanas in ejusdē praxi regulas adhibendas præscribit. Quod meus iste se velle, ac facere, palam profitetur.

ORTHOSOPH. Utinam verò metus hīc & alibi vanus sit. Sed si Genios tuorum attendo, & artes amplius rumino, quibus haec tenus negotium suum urgent, non temere est quod animus formidat. Sed hæc Domino meo curæ sint. Interim S. Scripturæ legitimū sensum, & iheram pietatis usum, & ipsa solùm opto & probo, nec in eo Clientem tuū rejicio: modò in praxi non idem faciat, quod tuis usitatū est, id est, ne prius deliria sua producat, & post Scripturas ad ea confirmando alleget, quantuavis sæpe adversis frōtibus concurrat. Hoc obiter monere tantum volui.

Tandem verò finis Colloquio imponendum est. Et ut sub istu oculi, quæ hucusque ad tua dixi, semper habecas, tria tibi ostendi. Primum, Inconsideratè & confusè tuum Clientem Rationem rectam, & Verbo Dei subnixam, bruti stuporis in hisce controversijs damnare. Alterum, Nec propriè, nec impropriè, Deum dicendum, aut habendum, Peccati autorem, sed osorem tantum & ultorem. Tertium, Nec libero arbitrio caruisse Adamum ante lapsum, ideoque nec necessariò lapsum; sed ita, ut facile à lapsu abstinere potuerit, nec ulla peccandi necessitate à Deo constitutus fuerit. His si quid reponere jussiris Discipulum tuum, mihi post scutum Veritatis latenti excipiendum erit, & porro, si Deus meus dederit, de repellendis telis cogitandum. Tu ipsi hujus nuntia esto, & vale.

Anacepha.
leosis.

PROPET. Tu quoque vale, & bene de me judica.

ORTHOSOPH. Vt digna eris, ita judicabo. Nunc abeo: iterum vale; & cogitare tandem incipe, num jure tibi sanctæ Tapeinophrosynæ titulum haec tenus usurparis, & site nimiā tui fiduciā, aut tuorum persuasione præposterā, lapsam animadvertes, in tempore emenda.

F I N I S.

O

Ad

Ad Lectorem, de sequente libello.

Scito Lector, omnia quæ suprà ex Tapeinophrosyne Ioh. Vrbani citata fuerunt, ad Editionem ejus Franequeranam, quæ in 8^{va} (ut vocant) forma prodijt, referenda esse. Ne igitur hac in parte ob diversam formā errares, numeros paginarum ex priore Editione citatarū hīc ad marginē addi curavimus. Ita perinde de hac alterā Editione, atque priore, ad commodum tuum uti poteris. Vale, & utrumque libellum invicem accuratè confer.

TAPEINOPHROSYNA
R E T A L I A N S.

five
DIALOGVS

inter

TAPEINOPHROSYNAM
&
RATIONEM

De necessitate & contingentia
Lapsus Adami.

Conscriptus à
JOHANNE URBANO
Pastore Hattemensi.



Antea impressum Franequeræ, apud Romber-
tum Doyema, Anno 1616.

PRAEFATIO.

NE exiguum hujus scripti mei corpus magno capite de honestem, te
rerd, ingenuo Lector, verborum prolurie onerem, tria audi. Pri-

1. mūm, nolim ut mibi ritio vertas, quod mea Tαπ্তιοΦεοσύνη non responderit ad singula absurdā, quae objecta ipsi sunt: prudens enim sciensq; id laboris præteriit, (eum tamen brevi suscepitura) ne adversarij magis excusationi nostræ contradicendo, quam sententiam suam afferendo tempus, terrent; sed potius, si fortè semetipsoſ defendere non possent, & quiores au-
2. reis defensioni nostræ præberent. Secundū, ne præter decorum factum esse existimes, quod Tαπ্তιοΦεοσύνη in adyta rationis sese ingesserit. Vera enim Tαπ্তιοΦεοσύνη rei illius, quam præ rebus cælestibus vilem dicit, ex-
3. actam cognitionem requirit. Tertiū, ne existimes, dum dispuo contra eos, qui Adamum contingenter duntaxat lapsum esse statuunt, me contendere aut statuere, Deum esse Autorem peccati. Si enim quis eum propriè talem esse dixerit, nā ego dirum eum duxero & execrabilem: si rerd impropiè, sobrium eum esse negavero, nisi illicè commoda explicatione periculōsum illum loquendi modum mitigaverit. Vale.

Tapeinophrosyna, Ratio.

Et si pannosa ego atque lacera incedo , singulis-
 que momentis non tantum ad magni illius Iudi-
 cis cœlestium terrestrialiumque subsellia provolu-
 ta , sed etiam à superbis mundi hujus , quamlibet
 miseri, incolis pedibus proculata jaceo , me ta-
 men fortis meæ neque piget neque tædet: ab illo
 enim , ut ab his hunc in modum exercecer , facta prodij . Id de-
 dum dolores omnes superat , quod videam , non tantum inventos esse , qui creatoris mei leges vitâ & facto non exprimant ;
 sed etiam qui ejusdem revelationes , quia eas non omnes intelligunt , miserè dittorqueant , pervertant , ac prorsus evertant , idque
 adeò , ut & alijs eas intelligere vix impunè liceat aliter , quam
 acumini ipsorum visum est . Vnde non medioeriter vitæ gemel-
 larum mearum , spei atque fidei , timeo . At at ! quam ego lassa at-
 que testudinea grallatoria mulierem me à tergo insequi con-
 spicio ? Haud absimilis videtur Pandoræ illi fatali , quam Poëtæ
 lugent . R. Quò misera , & tanto squalore obducta , te moves ? T. Per
 hanc miseriarum vallem , ad beatum illud & ultramundanum
 domicilium patris mei in cœlis aspiro , quamvis anhelam , & vix
 jam Spiritum trahentem subinde ij , per quos iter facio , in viam
 prosternant , atque à progressu arcere conentur . R. Calum dicis ?
 locum mihi perquam cognitum . ad hunc ferè singulis momentis ero lo , &
 quicquid ibi video (video autem plurima) meis aseclis revelo . T. O te
 fœlicem non minùs quam agilem , si quidem sic se res habeat !
 sed obsecro te , fac ut post tam longam itineris hujus molestiam ,
 quam hactenus pertuli , unà tecum evolem . R. Hoc verò nemini ,
 nisi soli mihi datum est , ut que non tui similis , tarda , crassa , lippis oculis ,
 sed velocissima , subtilissima , atque perspicacissima sim & habear . Si tamen
 te mihi in disciplinam vis dedere , de totius loci illius statu te probè eru-
 diam . T. Id haud parum sublevabit itineris mei tedium . Ante-
 quam tamen te mihi magistram præficiam , quæ sis paucis expli-
 ca . R. Quanquam , ex innata mibi majestate , & me & nomen meum nosse
 debueras , tamen , ne ignorantia mei tibi discenti sit fraudi , petitioni tuae
 satisfaciam . Sum igitur magna illa omnium reram sapientiam profiten-
 tium magistra , quæ non , ut Fama ista Maronis , terram pede premam , &
 capite nubila contingam , sed in ipsa terra viscera descendo , aurum , ar-
 gentum ,

gentum , & reliqua metalla erutum , quæ deinde in varios usus converto: quin è profundo maris uniones éduco. Ego cæli peripheriam & Solis sphæram mensam sum, de Deo, de Angelis, de beatorum animabus, de visione

Tap. A. 2. b. Hn. 24. Dei multa novi, quæ in verbo ipsius non existant, quod me & solius interpretationis est. Cæterum nomen est Ratio. T. Ergo illa ipsa es, cuius

contra ministros atque satellites, in ærumnosâ hac hujus mundi arenâ, per omnem vitam meam, nunquam quidem victa, non tamen debito profectu, depugnavi. Optatam autem in hac palestra futuram mihi antagonistram te obtulisti. Si enim unam te subegero, cæteræ illæ tuæ cohortes facilè fugam arripiunt, aut manus dabunt. Sin verò inferior discessero, te quidem inferior, sed me ipsa longè superior ero, ut quæ, ne in cassum tibi deinceps bellū moveam, didicero. Sed fortassis pugnam detrectas? R. Egone, quæ omnium pugnacissima, invicta, cedere nescia? Fac periculum. T. Faciam, sed quæ erit certaminis materia? R. Eam tibi, ut sum ad quidvis parata, eligendam relinquo. T. Mihi verò tempus quid eligam præscribit. Nam quamquam variae quæstiones turbido hoc sæculo à multis agitantur, una tamen, quam mox subjiciam, facilè palmam obtinet, utpote in quam reliquarum aliquot resolvuntur. R. Teneo quid relis: tu tamen edissere. T. Quem in discipulis meis singularem, atque unicè in delicijs habui Iohannem Calvinum, eum catarvatim tui impugnatum profluent, atque mortuo, qui non remordet, insultant, tanquam qui non sobriè satis, sed improvidè nimis de æterna Dei Prædestinatione nonnulla scripserit, cuius rei rationes, ô RATIO, abs te mihi reddi velim, non tam ut homini (qui jam in manu Dei est, meaque ope non indiget) quæm ut laboranti veritati suppetias feram. R. Rationes meas singulas antequam enarram, tu prior mibi, TAPERO-
PHROSTYNE (hanc enim te esse facilè video) responde, cur tam pauci reperiantur, qui tecum pro illo tuo Calvinio apertè stare ausint? T. Primò stant mecum plures quæm velis. Deinde si aliqui non audent, nescio qualibus præstigijs tuis, quibus docendis admodum fœlix is, deterrentur. R. Faciam igitur, ne tibi deinceps præstigies sint, sed vera argumenta, quibus vel ipsa deterreare. T. Age audiamus.

1. R. Principio docuit ille tuus discipulus, Deum sine prævisione, aut consideratione lapsus præcedentis, magnam mundi partem destinasse ad æternum exitium; Qua ratione eum odio habuisse dicit Esavum nullo
2. adhuc scelere inquinatum. Inst. 3. c. 22. §. 11. Secundò docuit Deum decreto

decreto suo ordinasse, ut primus homo non staret, sed laberetur, & tam
 lugendum & sibi & nobis fortiretur exitum. Verba ejus sunt libro notato
 c. 23. §. 7. Decretum quidem horribile fateor: inficiari tamē ne-
 mo poterit, quin præsciverit Deus quem exitum esset habiturus
 homo antequam ipsum conderet, & ideo præsciverit, quia de-
 creto suo sic ordinarat. T. Hæc uti discipuli mei Calvini *vvñtæ*
 agnosco, ita arbitror in ijs desiderari nihil posse. R. Quinimo
 plurima, quæ mox efficiam, ut tu unā mecum desideres, & quem hactenus in
 tanto honore habuisti, Calvinum mecum execrare, cuius rei tam certasum,
 ut non dubitem in theatro universi orbis, te ipsā judice, hanc dicam eidem
 impingere. T. Quid verbis opus est? rem ipsam aggredere, at-
 que accusationem tuam Calvini institue. R. Faciam, atque ordine
 proīt in omnibus meis soleo, progrediar *quām optimo*. Primò igitur, si
 1.
 Deus maximam mundi partem sine præcisione, aut consideratione, lapsus
 præcessuri prædestinasset ad eternum exitum, sequeretur Deum in ean-
 dem non suam bonitatem, sed tyrannidem extremè atrocem exercuisse:
 quaratione everteretur tota Dei natura, quæ non consistit in tyrannide,
 sed in summâ bonitate, & aquissimâ justitiâ. quin imò Deus in universum
 negaretur, & summè bonus in summè malum, Ter Opt. Max. in ter pessi-
 mum, transformaretur. Si enim ille, qui unum aut alterum insontem è me-
 dio tollit, tyrannus jure habetur, quantò magis ille tyrannus habebitur, qui
 tot millena millia, nullâ precedente causa, adedque innoxia, eternis cru-
 ciatibus mactanda prædestinat. Neque verò me hic sacra literæ desti-
 tuent: docet enim pater credentium Abrahamus Gen. 18. procul à ju-
 stitia Dei abesse, ut is faciat mori justum cum impio, sitq; justus ut im-
 pius, & ut judex universæ terræ non faciat judicium. Certè, quem tu in-
 ter primos fidelium numerares, Patriarcha vix pro privigno agnoscet.
 Sed quid demissō rultu ingemiscis, tandemne te pudet tui clientis?
 T. Tu perge, suo tempore trititiaæ hujus meæ causas auditura.
 R. Perlibenter. Si igitur vera sunt (ad secundam Calviniani para-
 doxi partem devenio) que tuus ille adfirmat, pietati video paratum
 fereretur, nihil enim ad eam enecandam fortius hoc dogmate excogitari
 potuisset. Nam si Deus decreto suo sic ordinavit, ut laberetur Adamus, se-
 quitur lapsum Adami, seu peccatum, Deo authore procuratum fuisse.
 Qui enim aliquid decernit ut necessariò ita fiat, is protinus est fautor au-
 thoriz̃ rei ad decretum prodeuntis. Neque hic te jurat, quod tui subtilli-
 ter magis, quam solide excipiunt. Adamum voluntariè peccavisse, ideoq;
 hunc, non illum, esse peccati causam. Nam vel ipsa Adami voluntas divine
 neceſſi-

necessitati non parere non potuit, ita ut jam non tam voluntati hominis, quam necessitati urgenti, voluntatemq; in assensum ducenti, peccatum jure acceptum referendum sit. Quin etiam homo prorsus excusatus esse videtur. Quod enim quis evitare non potest, neque evitare velle potest, si non evitet, evitare velle, ob id justè culpari nequit. Iā verò si Deus fuit causa prima lapsus Adami, movens eum inevitabili necessitate, quo jure potuit, aut jam potest, in miserum hominem tam rigide animadvertere. Rem non minus ludicram hanc esse censeo, quam si latro suum ipsum gladium acuset, & semetipsum, (ac re bene gestā) absolvat. Neque dissimilitudinem parit, quod homo non ut res inanimis egerit, sed voluntariè, quoniam totus homo uniuersum suam voluntate pependit ex arbitrio Dei non minus, quam gladius ex manu moventis. Vnde etiam concluso falso esse, quod ajunt Adamum esse lapsum liberè seu contingenter, ratione sui ipsius, & necessariò, per accidens, sive ratione decreti Divini. Nam Divina necessitas omnem voluntatis libertatem adeo enervavit, ut nullo modo libera fuerit. T. Nondum finis absurdorum? R. Neutquam, nam & hoc discipulo tuo tribuimus, quod faciat Deum sibi ipsi repugnantem. Testib. enim sacris literis, Deus voluit & jussit ne Adamus reseretur pomo illo fatali, & nihilominus, teste Calvino, decreto suo immutabili, & tali necessitate, cui reluctari non possit, cum ut comedaret adegit: decreto enim suo sic ordinarat. Voluit igitur Deus, & non voluit rem eandem, quam etiam prohibuit & precepit. Ceterum cum Deus sibi ipsi repugnare nullo modo possit, ex hac ipsa doctrina sequetur Deum hypocriticè cum Adamo egisse, aliud simulando foris, intus aliud sovendo: quod non minus absurdum est, quam ea quæ tibi hactenus exprobravimus. Hæc absurdia omnia si quis evitare velit, retento Calvinianæ predestinationis modo, lapsus Adami peccatum esse negaverit, & in Atheorūm Libertinorumq; castra transferit. Atque hec multis modis exaggerare possem, nisi moderationem magis quam acerbitatē sectari vellem. Audistin' hæc Tapeinophrosina? nunquid jam justam infestandi Calvini causam habere tibi videor? T. Scire vis, Ratio, de his omnibus, quæ dixisti, quid sentiam, uno verbo id dicam: dixisti te esse magistrum omnium eorum, qui profiteantur veram sapientiam: ego vero te facile corruptricem, & seductricem omnium discipulorum tuorum dixero, ut quæ speciosè magis, quam verè disputes. R. Bona verba quæso, non tamen verba tantum, sed & argumenta deprome, quibus ea quæ dixi impugnes. T. Factura id omnino essem recta via, nisi studium altercandi tuum tam probè mihi perspectum haberem, quo facilius fortasse veritatem

tem utraque amitteremus , quām inveniremus . Præscindendae
 igitur mihi potius sunt rixæ , quām enodandæ : quare aliâ viâ te
 aggrediar . R. Ego autem malim te singula persequi , ut eò exactius ,
quid de re totâ sentiendum sit , rideamus . Sed tamen audiamus ex te , quibus strophis molestiam à me tibi creatam declinare velis . T. Ausculta
 igitur . Interrogasti modò , cur demissô vultu ingemiscerem ?
 Causa doloris erat , quod , cùm scirem in omnium ferè tuorum
 ore versari illud , Facilius est rodere quām imitari : & hoc , Non
 videmus manticæ quod in tergo est , tu tamen ipsa Calvini senti-
 entiam potius destruere , quām tuam afferere , potiusque in il-
 lam , quām in hanc tuam inquirere velles . R. *Ego in illam senten-
 tiā inquirerem , quæ judicio omnium exquisitissima est , atque planissima ,
 quæž omnes offenditionis scopulos perspicue evitat : tu ex lege talionis agi-
 to , meam̄ sententiam tuo examini subjicito .* T. Quæ ea sit primū
 explana , ne fortè me de re non intellectâ verba facere contendas . R. Arrige aures igitur . Ego quidem , hac in re , Calvinο prorsus ad-
 versor , asseverans quotquot Deus ad exitium prædestinavit , illos eum ideo
 prædestinasse , quòd prævidisset peccatis suis id commerituros esse : decre-
 tum v. horribile Dei nullum agnoscō , ut qui quidem lapsus Adami ordi-
 nārit , ex malo bonum eliciens , non autem ut fieret decrevit . Permisit quidem
 Deus lapsum , Adamus verò liberâ suâ voluntate abusus , tanquam li-
 berè agens deliquit , ita ut lapsus ejus nullo modo fuerit necessarius , sed
 merè contingens . T. Quas tu nobis salebras , quantaque præcipi-
 tia pro planicie offers ? Iam ostendam , quām superficiaria sis
 rerum Divinarum magistra , teque tuo ipsius gladio jugulabo .
 Primo igitur scire velim , posteaquam dixisti , Deum permisisse
 tantum , non autem decreuisse ut primus homo laberetur , qui
 ideo etiam contingenter tantum lapsus sit , scire velim , inquam ,
 quis qualisque ille fuerit , qui lapsus est , annon creatura recens
 à Deo producta , quæ talis prodierit , nec alia prodire potuerit ,
 quām qualis authori , ut prodiret , visum sit : ita ut talis qualis , tan-
 ta quanta à Deo prodierit ? R. *Omnibus modis aio .* T. Secundò
 quæro , annon causa causæ sit causa causati , & cùm Adamus sit
 causa peccati , Deus verò Adami , quomodo Deus non sit causa
 peccati ? R. O te infelicem , quæ hoc armorum genere me aggredieris ,
*quorum usus te fugit ! Non est hoc meum axioma tam firmum , quin suas
 exceptiones patiatur : fieri enim potest , ut causa secunda egrediatur ab
 ordine primæ , & ut defectus sit in causâ secundâ , qui non sit in primâ . Hoc*

abi sit , tunc causa cause non est causa causati . T. Audi quod res est : quotiescumque effectum egreditur ab ordine suæ cause , tum id vel imprudentiam , vel impotentiam cause arguit , ut infra latius dictura sum . R. Et ego ibidem responsura . T. Iam velim ut quæstioni præsenti alteram tuam exceptionem aptes , quam quidem ego toties falsam esse contendeo , quotiescumque defectus , qui in causâ secundâ est , à primâ ortum ducit , quamvis in eâ ipsâ non resideat . R. Sic igitur agam , ut defectum in homine fuisse ostendam , & simul quomodo à Deo non promanarit doceam . Dedit autem Deus Adamo , ut posset stare : Adamus sibi ipsi defuit , & noluit stare ; sed lapsus elegit . Deus Adamo , ne præceptum transgredieretur , horrendas minas minatus est : has ille rili pendens præceptum transgressus est . Defectus igitur in Adamo resedit , qui sibi ipsi interitus causa fuit : Deus verò minimè causa lapsus esse potuit , ut pote qui ad eum vitandum & vires & admonitiones sufficientes dederat , nisi forte hypocritæ (quod absit) fuerit . Opinor nullum tergiversandi locū tibi reliquum esse . T. Hei mihi , quām multi fumi hodiē veneunt ! Sed ad rem : illud notissimum est , Adamum prodijse à Deo totum , tantumque quantus erat , ita ut ab eo tanquam à sua causa in universum pependerit . non potuit

igitur Adamus deficere , nisi ubi causa in eo operari prior desijt . ita ut si aliquis in ipso defectus fuerit , is ad causam referri debat , quæ antequam Adamum , ut actu staturus esset , perfecisset , operari desijt . Advorte aures : Effecit causa Adami , ut stare posset Adamus , & stare potuit . effecit ut posset velle stare , & velle stare potuit . causa operari desijt ; & non effecit ut staret actu , defecit Adamus , & actu non stetit . Debuerat omnino causa , si ex animo voluisset , ut effectum actu staret , id ipsum staturum actu producere . Atque ita frœstra prætendisti defectum cause secundæ , qui quotiescumque nascitur è prima , non tantum eam ex numero causarum non eximit ; sed ne à culpa quidem liberat , in rebus ad te pertinentibus , quæque magis sunt tui judicij , quām Deus , ejusque justitia , justitiaeque modus . Porrò quod de minis dicis , id ad rem non facit , nam ne per illas quidem causa effecit , ut effectum actu staret . R. Atqui ego nunquam tibi concessero , ut defectum Adami à Deo deducas , ac si prior ille defecerit , quem defectioñis accusare nefas esse duceres . Et certè quomodo poteris hic quicquam in Deo desiderare , ut pote qui tantum immerenti homini contulerat , ut viribus liberi arbitrij fultus potuisset non deficere , modò voluisset , & velle

velle poterat, modò non sponte suâ noluisset. Utar similis: cùm educat pater
 filium honestè, eumq; instituendum curat, ut & sibi & alijs prodeesse possit,
 & denique ut recipiat proposit, jubet sedulò: jam si filius nolit, quis dicat filio
 patrem tam pius & sedulum ullo modo defuisse? T. Absit à me, ut ego
 vilis, & misera Deum meum ullius defectus accusem. probè
 enim novi, quam minimè ille obligatus fuerit, ut vel tantillo
 Adamum perfectiorem produceret: si igitur operari desijt, &
 perfectiorem Adamum non efformare voluit, suo jure desijt, Tap. A. 7. 2.
 tanquam qui creaturam creatori parem producere non tenere-
 tur. Quanquam autem jure Dominus Deus progredi desijt, ne
 perfectioni Adami plura adderet, nihilominus tamen, quicquid
 imperfectionis in ipso fuit, hinc fluxisse negare nunquam poteris.
 Egere cibo & potu imperfectionis est, in futura vita non
 egebimus: eguit Adamus ob id solum, quia à Deo talis, ut non
 egeret, non creatus erat. Mutabilem esse imperfectionis est:
 Adamus fuit mutabilis, nempe immutabilis à Deo non erat fa-
 ctus. Hæc igitur indigentia ac mutabilitas rectè à Deo deducuntur.
 Porro Deus Adamo liberum arbitrium conferendo ut
 posset stare, & posset velle, non defuit: sed tamen, non dando, ut
 actu staret & vellet, defuit, idque ut jam antè dixi suo jure. Hoc
 etiam modo pater filio, probè eum crudiendo & monendo non
 deest; deest tamen animum ei talem non dando, ut prodeesse sibi
 & alijs velit, non defuturus omnino, si legitimè animum filij ad
 melius vertere posset. Non sum id nescia, impropriè dici patrem
 filio hac in re defuisse, cùm non debeat tribui rei alicui priva-
 tio, cui natura non debeat inesse habitus: sed nisi cum impoten-
 tia patris velis comparare omnipotentiam Dei, talem oportebit
 te fingere patrem, qui, quo velit, possit inclinare filij sui ani-
 mum, ut Deus voluntatèm Adami, ut ita filio suo propriè hac in
 re deesse possit. R. *Etsi Deus est omnipotens, sunt tamen quedam, que*
nullo modo potest, aut posse rule, qualia sunt peccare, mentiri, mori, muta-
ri, utpote Divinæ naturæ contraria, quorum posse omnipotentia Divinæ
non minus contrarium est, quam naturæ, quorumq; impotentia omnipoten-
tia Dei maximè est consentanea. Vera enim & tota omnipotentia est,
posse facere que velis, aut ralle possis, non autem que ralle nequeas. Hanc
impotentiam omnipotentia divinæ convenientem cum impotentia patris
jure conferendo evinco, non magis rectè dici Deum defuisse Adamo, quia m-
talem patrem filio. T. Eho! divinæ igitur naturæ contrarium futu-

rum fuisse judicas, si Deus Adami voluntatem ita inclinasset, ut
 id bonū, quod posset, actu perfecisset, adēt ut non magis Deus
 potuerit inclinare voluntatem Adami, quām q̄ilibet pater sui
 filij? Si sic censes, rei hujus causam aperi. R. *Ita judico. Causa est*
summa illa Dei & perpetua immutabilitas, secundum quam Adamum
creaverat, ut esset liberi arbitrij, quod deinde ad alteram duntaxat par-
tem, stante sua immutabilitate, flectere non potuit, ut pote eo modo libe-
rum non futurum. T. Vt videas, quām fundamento hæc careant,
 sic dissero: cūm dicis Deum creasse Adamum liberi arbitrij, si-
 mul dicis, quōd talem crearit, qui posset labi & velle labi, qui
 posset stare & velle stare. Iam igitur quāero, cur eum talem fece-
 rit, ut posset labi, an ut staret, an verò ut laberetur, an denique
 nullo fine sibi proposito? Item, cur eum fecerit talem, qui posset
 stare, an ut staret, an verò ut laberetur, an denique nullo fine?
 R. *Fecit eum talem, qui posset stare, ut deinceps suo marte, sive sua sponte*
staret, fecit eum, qui posset labi, ut suo marte deinceps liberè staret. T. At-
 qui sic in omnipotentiam Dei impingis, quod sequenti argu-
 mento demonstro. Quicunque voluit & conatus est aliquid ef-
 ficere, neque tamen id est affecitus, is non est omnipotens. At-
 qui Deus (secundum te) conatus est & voluit, dando liberum ar-
 bitrium, efficere, ut Adamus deinceps suo marte staret, neque
 tamen id est affecitus. Ergo &c. R. *Aranearum he sunt tendiculae.*
 Nego assumptionem ex verbis meis desumi posse. Licit enim Deus Ada-
 mum ideo crearit, ut staret, quod & voluit, duplex tamen est Dei volun-
 tus, Effectiva una, Permissiva altera. Voluit Deus voluntate permissiva, id
 est, voluit permettere ut Adamus staret, non efficere. T. Dando non
 permittimus, sed efficimus. quare etiam Deus, dando liberum ar-
 bitrium, non permisit, sed effecit, aut efficere voluit aliquid.
 Præterea concurrit utraque voluntas in hoc negotio, & una al-
 teri subordinatur, non autem inter se opponuntur: nam Deus,
 Adamo dando posse stare, & posse labi, conatus est & voluit ef-
 ficere (en voluntatem effectivam) ut ipse quidem posset permit-
 tere, & permetteret stare Adamum; Adamus verò staret suo
 marte (en voluntatem permissivam) nunquam utique permissu-
 rus, nisi hunc staturum suo marte prius effecisset. Atque hic hæ-
 reas oportet. Pari modo dum liberum arbitrium dicis, ad sa-
 pientiam Dei offendis. Sic enim concludo. Quicunque alicui
 aliiquid committit, quo voluntati suæ contrarium indubitate
 præscit

præscit proditurum quid, ille non agit sapienter. Atqui (secundum te) Deus commisit Adamo liberum arbitrium, præscius contrarij voluntati suæ inde prodituri. Ergo &c. Neque etiam intaminatam Dei justitiam reliquisti. Quicunque enim verè est justus, habens omne id in suâ potestate, quo possit peccari, & sine quo non possit peccari, si sciat eo alteri tradito peccatum Tap. A. 8. b. indubitate iri, id nemini committit. Atqui Deus (secundum te) habuit in potestate suâ liberum arbitrium, quo solo potuit peccari, & sine quo non potuisset peccari, præscivit etiam, eo alteri tradito, peccatum indubitate iri, & tamē id ei commisit. Ergo &c. R. Quid tandem, venefica, me ad omnes præstigias tuas tacituram esse, tanquam victimam, existimas? Limitanda omnino est tua Major, & addendum, nisi si qui accipit, etiam bene uti possit, & qui dat, ad malum non determinet. T. Ea sterilis potentia, quam scit commissor in actum nunquam productum iri, ad justitiam ipsius conservandam non facit. Et nemo verè justus erit, qui indubitate latrocinium exercituro (si modò id certò sciat) gladium præbuerit, quamvis ipse eum ad malum non determinarit. Sed vide quām hebes tu sis: si Deus ideò iustus est, quod dedit Adamo liberum arbitrium, quo potuisset duntaxat bene agere, etiam injustus fuisset, etiam si Adamus bene egisset, dederat enim ei liberum arbitrium, quo potuisset male agere. R. Ne tu plumbæ es, quæ non vides ingens illud discrimen inter posse bonum, & posse malum. Nam posse peccare Deus quidem & que dedit, atque posse bene agere: hoc posse jussit Adamum in actum producere, illud prohibuit. T. Ad justitiam viri boni non sufficit, ut moneat, si sciat se frustrâ monere, sed debet gladium retinere, & nullo modo latroni concedere. R. Sed heus tu, tunc hominem sine libero arbitrio fingis? tolle liberum arbitrium, & hominem sustuleris. T. Neutiquam. In futura vita erimus homines, & arbitrium, ad malum, liberum non habebimus. Vtique sublato libero arbitrio ex parte mali, homo non tollitur, sed perficitur. Si enim Adamus non fuisset liberi arbitrij, quo ad malum, multò perfectior fuisset. An ignoras Deum ideo perfectissimum esse, quod non possit peccare? Porrò ad hoc argumentum quid respondebis? Quicunq; est causa solitaria potentiae alicujus, sciens quisnam actus ex ea immediate proditurus sit, is idem est author actus orti. Qui solus produxit liberum arbitrium, sciens quid ex eo immediate proventurum esset, fuit causa solitaria potentiae

alicujus, sciens quisnam actus ex ea immediatè proditurus esset.
Ergo &c. Porrò actus ortus immediatè fuit peccatum. Si propositionem hujus eo modo, quo superioris syllogismi majorem restrinxisti, limites, jam tibi responsum esse scias. Ex his concludo, neque necessitatis absolutæ fuisse, neque divinæ potentiae,

N.B. sapientiæ, justitiæve, ut Adamus crearetur liberi arbitrij, usque dum solidè ad ea, quæ tibi objecta sunt responderis. Et ut revertar eò, unde digressa sum, addo, Etiamsi omnino evicissè, quod Deus Adamum liberi arbitrij creasset pro immutabilitate sua, potuisse tamen eundem id arbitrium, refutando Diabolum,

Tap. B. I. a. Adamum per se aut per Angelum monendo, inclinare ad bonam duntaxat partem, ut homo Diabolo non crederet, sed Deo pareret, idque pro libero suo arbitrio. Hoc pacto Deus mansisset immutabilis, Adamus liber, & bonus. Ad hæc quid respondes Ratio? R. Brevi per aliquem clientum meorum tibi respondebo, tu interim rictam me ne dixeris: nam tu quoque tuam sententiam ad absurditatibus non vindicasti. T. Quid, si suo tempore vindicem? R. Triumphum canes. Quid si ego suo tempore; tu vero minus? T. Nisi simul pro Calvino responderis, me triumphabis. Interim id, quod hac vice volui, obtinui, nimirum quandiu tuus ille cliens, te dictante, ad ea, ad quæ tu modo tacuisti, non responderit, tibi tuisque non erit liberum sententiam Calvini meamque traducere, ne vobis impudentiæ notam inurant, illudque occinant: nosce te ipsum. Item si fortè quædam ex ijs, quæ tibi objeci solvere non potueris, soluturam me ea, quæ tu objecisti, æquius audies, & si quæ ex sacris literis argumenta attulero, non tam anxiè loca allegata detorquebis, ut ea absurda, quæ mihi exprobasti effugias, ut pote quæ ijs evitatis, in turpioribus hæreas. Hinc ego Ecclesiæ pacem resultare posse existimo, & vulnus istud lividum coire, simultaneaque per compendium tolli. Nam etiamsi forte neutra, neque ego neque tu ostendere possemus, quomodo nihil prorsus eorum, quæ in hoc negotio videntur absurda, re ipsa absurdum sit, ita volente Deo, ut acumen naturale non adæquetur fidei, sic tamen litem dirimere poterimus: 1. Colligemus ego pro me, tu pro te, testimonia Scripturæ, 2. nihil absurdum ego tibi, nihil tu mihi tribueras, 3. testimoniorum meorum alienas à meis interpretationes adferas, feram ego tuorum à tuis alienas, 4. tum hæc inter se conferentur, quæ sensum Scripturæ, verborumque

Tap. B. I. b. forte neutra, neque ego neque tu ostendere possemus, quomodo nihil prorsus eorum, quæ in hoc negotio videntur absurda, re ipsa absurdum sit, ita volente Deo, ut acumen naturale non adæquetur fidei, sic tamen litem dirimere poterimus: 1. Colligemus ego pro me, tu pro te, testimonia Scripturæ, 2. nihil absurdum ego tibi, nihil tu mihi tribueras, 3. testimoniorum meorum alienas à meis interpretationes adferas, feram ego tuorum à tuis alienas, 4. tum hæc inter se conferentur, quæ sensum Scripturæ, verborumque pro-

proprietatem magis retinebunt, minusque detortæ erunt explicaciones, eæ acceptabuntur. R. *Vbi interim mea subtilitas?* T. Attenta erit rerum omnium ministra, & altius de verbo Dei, quam de seipsa sentiet, tanto excellentior futura, quanto depresso sibi visa fuerit. R. *Sed quis judex noster erit? quid si te vincente cedere mei nolint, me vincente vero tui?* T. Qui habebunt aures ad audiendum, audient, qui non habebunt, si moderati fuerint, per modestiam ducendi, si pervicaces, per patientiam vincendi erunt. Sed quia video, te maturare abitum, per fidem tuam, & si unquam veritatis studiosa fuit, te obtestor, ut brevi respondeas. R. *Ne dubita. Vale, & bene de me judica.* T. *απέγνωφροσύνη.* T. Tu quoque vale, & humilitatem disce: sic enim & tibi & mihi benè erit, multiq; piorum gemitus, & anxia harentium in spe & metu suspiria, in gaudium commutabuntur.

F I N I S.

